Oratio

DE VITA ET MOR-
TE ILLVSTRISSIMÆ PRINCIP

AC DOMINAE, D. DOROTHEAE VRSVLAE:
LVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
AROLI, MARCHIONIS Badensis & Hochburgensis:
mini in Rœtelen, Susenberg & Badenvveiler &c. filiæ: Illu-
striss: Principis, ac Domini D. LVDOVICI DVCIS VVIR-
TENBERGICI, & Teccij: Comitis Montispeligardi &c.
coniugis dilectiss: Quæ Anno. 83. ipso die Pente-
costes, Noribergæ feliciter in Christo
obdormiuit.

HABITA

In nobilissimo frequentissimoque Auditorio Tibingæ.

A

THEODORICO SNEPFFIO, DOCTO-
re & Professore Theologo in Academia Tubingensi.

ADDITIS, ET DOCTORVM ALIQVOT VIRO-
rum, iuuenumq; studiosorum, quæ in funere ad valuas Templi
affixa fuerunt, NÆNIIS.





TVBINGÆ

Apud Alexandrum Hockium, Anno salutis 1583.

ORATIO IN FVNERE ILLVSTRISS: PRINCIPIS ET *DOMINAE D. DOROTHEAE VRSVLAE MARchionis: coniugis Illustriss. Principis & Domini, D. Ludouici Ducis VVirtembergici, &c.*



Agnifice Domine Rector, Generosissimi Comites & Barones, Assessores consistorij Illustrissimi Principis dignissimi, Senatus amplissime, viri nobilitate, virtute, sapientia, authoritate, omnibus denique virtutum ornamentis clarissimi: iuuenes & Adolescentes ingenui. Quanquam hic locus mihi semper non modò ad dicendum amplissimus visus est, sed etiam ad recreationem aptissimus: vt in quo tot eruditionis lumina, tot nobiles, tot honesti et literati homines cōspicerent (quo sanè spectaculo nihil est viro bono iucundius) tamē cum hodie huc conscenderem, animaduerti, me variè affici. Nam recreat & reficit me quidem conspectus vester, amplissimi viri: sed cum apud animum meum perpendo, vos eam ob causam omnes conuenisse, vt Illustrissimæ Principi, Dorotheæ Vrsulæ, Illustrissimi Principis nostri, Ducis VVirtembergici & Teccij, Comitis montis Peligardi &c. coniugi iusta soluantur: & ea habeatur oratio, quæ lectissimæ fœminæ laudes omnes, & vitæ præclarè actæ ornamenta luculenter exponat, non possum non vehementer perturbari. Video enim expectari id, quod â tenuitate mea proficisci non potest: præsertim hoc tempore, quo illustrissimum Prin-

cipem noſtrũ, vos grauiſsimos viros, totam nobilitatem, ſtudioſos omnes, in luctu eſſe conſpicio. Quæ res cum ipſa etiam animum meum perturbet, vix ad dicendum co- tiones poſſum inſtituere. Ita fit, vt præſentia veſtra, pè mihi & alijs recreationem attulit, nunc formi- dinem afferre velle videatur. Quamuis & hoc me affici- ar, quòd intelligam, ſi maximè ab omni dolore abeſſem, nunquam tamen vel erudititiſsimis auribus veſtris, vel lau dibus huius Principis, vlla ex parte eſſe ſatisfacturum. Vna tamen res eſt, quæ me hoc ſolatur tempore: vos ne in luctu quidem hoc grauiſsimo, oblitos humanitatis, & beneuolentiæ erga me veſtræ: nec commiſsuros eſſe, vt hoc onus grauiſsimum dicendi, authoritate publica, cui ego refragari nec poſſem, nec deberem, mihi impoſitum, in aliquam apud vos reprehenſionem veniat. Deinde, ea eſt ſapientia veſtra, vt acerbitatem doloris, quem ex hoc funere pcipio ex proprio æſtimare ipſi poſsitis: & veniã mihi dare, ſi conatꝰ meus nec expectationi veſtræ, nec vo luntati etiã meæ reſponderit. Nec ego exiſtimauerim, nos in hoc luctu, in cuius ſocietatẽ mecũ veniſtis, iure à quo- quam reprehendi poſſe: cum Propheta Eſaias palam te- ſtetur, mortem magnatum triſtia præſagia futurarum calamitatum habere: & propterea negligenda non eſſe.

Fretus ergo beneuolentia veſtra, & quod certam ſpem in fauore veſtro poſitam habeam, de Illuſtriſsima Principe, fœmina lectiſsima, pauca dicam. Etſi enim il- la nunc in ſepulchro conſtituta eſt, quod cæteris homini- bus obliuionem & obſcuritatem afferre ſolet (negligun- tur enim plerunqꝫ ij, qui ex oculis noſtris remoti ſunt) tamen eius Principis pietas, cum omnibus ornamenti-

quæ in hunc ſexum cadere poſſunt, coniuncta, non patie-
tur ſepeliri eius memoriam, cuius corpus terra contexit.
Nec tempus abolendis rebus humanis, vt Poeta dixit, e-
dax, quicquam in eam iuris habebit. Viuunt enim præ-
clari homines, viuunt in hominum animis: & virtus mori
neſcia, ſuos cultores ab interitu præclarè vindicat. Quod
ſi ergo in hac oratione mea aliquid de veriſsimis defunctę
laudibus prætermittetur, aut non eo orationis ornatu,
quo debebat, proponetur, nō tamē intercidet: nam vt vos
virtutis eſtis amantiſsimi, ſic exempla virtutum, in ani-
mis veſtris, & huius etiam Heroinæ, perpetuò mane-
bunt.

Dicam ergo de huius Principis natalibus & pueritia:
deinde vita moribuſq́;, deniq́; de eius ex hac ærumnoſa
valle felici migratione. Nata eſt illuſtriſsima Princeps,
Phorzemij, anno Chriſti milleſimo, quingenteſimo,
quinquageſimo nono, die vigeſimo Iunij, paulò poſt ho-
ram ſecundam matutinam: & volentibus illuſtriſsimis
parentibus, vocata eſt Dorothea Vrſula. Quod ſi quis
huius Principis maiores conſiderauerit, animaduertet
profectò, Heroibus & Heroinis, non temerè, ſed diuino
quodam præſagio, & voluntate numinis, nomina eſſe in-
dita. Dorothea enim, vt mihi quidem videtur, & donum
DEI dici poteſt, & in quàm cumulatiſsimè multa orna-
menta collata ſint. Et certè ſi ea hora, quæ Dorotheam
dedit, eandem eam nobis abſtuliſset, nec ea vita mori-
buſq́; teſtari potuiſſet, quod feliciter nata fuiſſet: tamen
haberet ex maiorum celebritate æternam laudem.

N[illegible] negari poteſt, poſteritatem ex ornamen-
tis maioru[illegible] uam etiam quandam, & domeſticam lau-

dem decerpere. Itaq; Sacræ literæ plerunq; magnorum virorum Genealogias prolixè deſcribunt: & antiquitatis memoriam, à primis parentibus deducunt.

Si enim Patria, & his, per quos iucundiſsimam hanc lucem primò aſpeximus, nihil charius nobis eſſe debet, et rectè Homerus dixerit, οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος, οὐδὲ τοκήων, certè ne memoria quidem eorum etiam, à quibus illi deſcenderunt, negligenda eſt. Et pulcherrima hæreditas ea demum videri debet, in quam à primo ſtatim ortu ſucceſsimus. Et eam quidem præclaram Doro[thea] habuit: nam ſi maiores eius, ex vtroq; parente, percenſere duntaxat, prætermiſsa prolixiore virtutum, quibus claruerunt, commendatione, vellemus, longum nobis opus naſceretur. Quis neſcit virtutes & res præclarè geſtas, auorum paternorum: Hermanni, Adoleberti, Burchardorum, Rodolphorum, Bernhardorum, Fridericorum, & reliquorum, quos commemorare breuitatis ſtudium non permittit. Quanta autem illa ornamenta habet à maternis maioribus. In his coruſcat Cæſar Robertus, & eius filius Otho. In his ſunt Palatini & Ludouici illi ſeptemuiri Romani imperij. Et Stephanus eiuſdem imperatoris filius. Fridericus Ioannes, deniq; Annæ matris defunctæ Pater.

In his omnibus non modo ornamenta Imperatoria & regia, ſed eæ virtutes, res geſtæ, victoriæ cernuntur, vt fama & gloria earum ijs demū terminis, quibus orbis terrarum, claudatur. Quis ergo non dixerit, Dorotheam verè Dorotheam eſſe, quæ numinis beneficio, tot illuſtria ornamenta, ſtatim in ipſa natiuitate inuenit: & quæ in cunabulis maiorum laudibus fulſit. Sed horu omnium gloriam vincunt Dorotheæ parentes: Illuſtr

us Princeps Carolus Marchio, excellentis memoriæ, illuſtriſsima mater, Anna. Neq; enim Pater duntaxat, ijs virtutibus, quibus Reſpu: conſeruatur, clarus extitit, ſed maiorum laudes in eo ſuperauit, quòd primus veram & ſynceram religionem in Marchionatu plantauit: eamq; ſummo ſtudio, vt ſarta tectaq; maneret, defendit: nullis ſumptibus pepercit: nullum laborem ſubterfugit: offenſas, quas propter confeſsionem veritatis, apud alios maximas ſuſtinuit, omnes negligendas eſſe exiſtimauit. Et ſanè, cum optimus Princeps nouiſſet, quoſdam profeſsione magis, quàm re ipſa Theologos eſſe, & ſub integumento Auguſtanæ confeſsionis, monſtra opinionum alere, accuratam inſpectionem, miſsis legatis, & nobilibus, & doctiſsimis viris, inſtituit: vt quantum in ſe eſſet, Zizania illa corruptelarum purgarentur. Certè opt. ille Princeps memoria omnium ſeculorum digniſſ. diebus dominicis & feſtis, omnibus ijs aulicis cibum negauit, quos comperiſſet concionibus ſacris non interfuiſſe. Neq; enim eos externo hoc paſtu dignos iudicabat, qui cœleſtem cibum, reficiendis animis datum, neglexiſſent. Eadem mens eius etiam coniugi Dominæ Annæ, huius matri, fuit, quæ in pietatis ac virtutis ſtudio ita elaborauit, vt multis Principibus anteferenda eſſe, hoc nomine, videatur. Et ſanè hodie etiam puritatem doctrinæ cœleſtis, vnà cum filijs, Illuſtriſsimis Principibus & Dominis, D. Erneſto Friderico, D. Iacobo, & D. Georgio Friderico et amat, & ſum̃o ſtudio promouet.

Eiuſmodi ergo Parentibus nata Dorothea, non modo gloriam, ſed quod gloria eſt maius, bonam educationem inuenit. Studuerũt enim parentes eam ſtatim à cunabulis

ad meliorem vitam, quàm quæ ab ipsis esset profecta, p
ducere: videlicet, vt filia non modo huic mundo viu
ret & vrbanitatem disceret (quæ & ipsa quidem in ciuil
vita expetenda est) sed etiam ad immortalitatem insti-
tueretur. Et quidem cum sempiternæ vitæ ratio, ex solis
monumentis sacrarum literarum discatur, Illustrissimi
Parentes, Dorotheam non modò nutricibus, pijs matro-
nis, sed deinde etiam præceptoribus doctis, & synceris
viris, à quibus illa rudimenta doctrinæ Christianæ (Ca-
techesin vocant) disceret, erudiendam tradiderunt.

In qua institutione puerili, ipsa ita breui profecit, vt
pietatis semina in ea, cum admodum adhuc esset puel-
la, sese ostenderent. Solent enim in pueritiæ etiam illa
simplicitate, DEI beneficio, non modo virtutum, sed pie-
tatis etiam igniculi elucere: sicut sepulto igne, viui ali-
qui carbones ex cineribus eminent.

Verùm ad priuatam illam institutionem, pub: etiam
illa concionum accessit: ad quas Dorothea quotidie ad-
ducebatur, & ijs auditis, cogebatur ea, quæ apud memo-
riam deposuisset, recitare Dominæ matri & Præceptori-
bus. O felicem institutionem, quæ in his tantis rebus
maturè suscipitur. Græci παιδομαθεῖς eos qui à puero
aliquid didicerunt, vocant: cæterisq; in discendo & per-
cipiendo, ad perpetuitatem, feliciores esse dicunt. Nam
quæ à primis annis, in perpetua nostra consuetudine fue-
runt, in naturam quasi abeunt: & omnem ætatem comi-
tantur, imò ad ipsum rogum nos prosequuntur.

Vtinam vero Plebeij etiam homines, hanc Principum
curam imitarentur: nam & liberis suis obsequentioribus
essent vsuri, & statim quasi in vestibulo vitæ fundamen-
ta sem-

ta sempiternæ vitæ, quæ in sacris cernuntur & discuntur, suis essent posituri. Sed paucis illa felicitas salutaris curæ parentum contingit. Singulare etiam donum est, tales parentes habere, qui nos precibus quotidie Domino commendent: & ab eo benedictionem impetrent. Nota est historia de D. Augustini matre Monica, quæ perpetuis precibus & flagitationibus apud Deum impetrauit, vt filius ex Manichæo & hæretico, Christo renasceretur. Et Nazianzenus summus Theologus testatur, & sibi & fratri Cæsario, preces maternas maiorum in modum, vt maxima effugerent pericula, profuisse. Hæc ergo & Principi defunctæ, benignitate D E I contigerunt, vt statim in ipso vitæ limine ad meliorem vitam aspirare disceret. Quod sane quantum momenti habuerit, in progressu dicetur. Et profectò hæc cultura animi ornauit eas dotes, quæ in corpore huius Principis maximæ cernebantur. Quamuis enim forma non modò ad elegantiam, sed ad admirationem etiam omnium esset conspicua: statura mediocri, facie hilari, nitida, verecunda, oculis venustis, toto corporis habitu eo, quem ne Momus quidem ipse posset reprehendere, tamen illam pulchritudinem animi dotes superabant: quæ iam in ipsa pueritia etiam lucere incipiebant: & tamen illæ etiam ex forma gratiam accipiebant: ita vt gemina pulchritudo in vna Principe conspiceretur. Non dicam iam de indole, quam tam præclaram habuit, vt ad percipienda omnia, quæ in hoc sexu commendantur, à natura ipsa facta esse intelligeretur. Nam quamuis

exercitationibus muliebribus illis propter amplisſ: fortunam non indigeret, tamen & acu pingere, & vestem ſtragulam opere Phrygio, et multa alia, incredibili arte atq; induſtria, iam etiam in pueritia parare didicit.

Sed quid ego de his tàm minutis? quæ, cum à me breuitas expectetur, excludere ea fortaſsis poſſent, quæ in arce ponenda, & in progreſſu nobis dicenda ſunt. Iam ergo ea, qua in hac tàm fœcunda & copioſa materia poſſumus, breuitate vtentes, de Dorotheæ teta vita, pietate moribusq; elegantiſsimis illis, innocentia, & ijs ornamentis, dicamus, quæ ab eius animo cultiſsimo & ornatisſ: profecta ſunt. Quanquam enim ipſa ſæpè confeſſa eſt, ſe quam plurima in vita ſua deſiderare (quis enim eſt, qui dum hoc mortale corpus, peccato obnoxium, circumfert, profiteri poſsit, ſe modis omnibus perfectum) tamen Princeps iſta rationes omnes vitæ ſuæ ita inſtituit, vt in ea orationis parte, quæ de eius moribus mihi habenda eſt, omnem meum in dicendo conatum, ſuccumbere plane videam: & propterea vos viros virtute, doctrina, authoritate ornatiſsimos & præſtantiſsimos, maiorem in modum rogo, vt potiùs de meo deſiderio, in hac tam triſti, ſed maxima tamen cauſa explicanda, quàm induſtria & facundia (quæ in me nulla eſt) cogitetis. Deniq; ſic exiſtimetis, me, ſi ea dicendi copia eſſem inſtructus, qua maxima olim lumina illa eloquentiæ, Cicero & Demoſthenes fuerunt (cum qua nullius noſtri ſeculi hominis, vel induſtria, vel facundia δὶα δυὸ [illegible] compara

paranda eſt) nullam tamen partem laudis & gloriæ, quam pietas & virtus huius Heroinæ merentur, aſſecuturum. Compendio ergo, & quod nos præſtare poſſumus, pingui (vt aiunt) Minerua, has tantas res proponamus: vt viri docti, ex qualicunque earum adumbratione, vel coniectura, duntaxat aſſequantur, eorum, quæ & ingenij & induſtriæ omnis meæ vires, ſi quæ [illegible] ſunt, ſuperant, magnitudinem.

Cum Princeps laudatiſſ: primam eſſet pueritiam egreſſa, multis ſpeciminibus docuit, Deum in ijs, quos diligit, quotidie progreſſus pietatis & donorum maiores oſtendere: & incrementa ætatis, nouis acceſsionibus gratiæ ſuæ, ſubinde cumulare. Initiò enim, quamuis in alijs hominibus pueritiam ætas excipiat maturior, tamen in ea ſunt multi perturbati, & concitati animorum motus, qui magnam creant conſilij imbecillitatem: verùm in hac Principe nouum quid & inuſitatum accidit. Nam ſtatim præter ætatem ſapere cœpit. Non enim iam amplius monitionibus accuratioribus illis ei opus erat: non magiſtra aliqua, quæ, quod in ea ætate plerunque requiritur, ſeuerius diſciplinam aſtringeret: ſed ipſa & parere & proficere ſtudebat: & Gynecæi magiſtris vix locum admonitionum relinquebat: cum ipſa obſequio ſuo mandata præueniret. Audierat enim in concionibus, & quidem audierat cum attentione, Parentibus obediendum: & ijs etiam, quos illi vicarios conſtituiſſent. Intelligebat, non metum, ſed officij & pietatis rationes, iuuentutem ad obedientiam inuitare debere.

At vero, vt ad honesta omnia obsequia toto animo ferebatur, ita neminem hominem contemnebat: imò ne famulas quidem, quæ ad abiectissimas operas conductæ erant, fastidiebat. Quæ sanè res ei apud omnes beneuolentiam & fauorem conciliauit.

Virginitas eius non tam vestitu & ornatu muliebri, quàm verecundia, pudicita, continentia exornabatur: qui mundus reliquis omnibus ornamentis longè est anteferendus: nam in vestitu sæpè luxus conspicitur: sed in virtutibus ea sunt ornamenta, quæ DEO probantur. De eo enim Petrus in priore epistola sua, capite tertio, sic scribit: Mulierum ornatus non sit externus, qui situs est in plicatura capillorum, & additione auri, aut in palliorum amictu, verum occultus, qui est in corde homo, si is careat omni corruptela, ita vt spiritus placidus sit, & quietus, qui Spiritus, in oculis DEI, magnifica & sumptuosa res est. Hoc certé ornatu, illa DEO se magnoperè commendauit; imò verò etiam hominibus. Nam virtutem gloria, vt vmbra, comitatur: nec suos cultores sinit esse obscuros. Et quidem res ipsa tandem docuit, huic virgini Principi, nihil ad summam commendatione defuisse. Nam cum Illustrissimus Princeps noster, pietate, iustitia, omnibus denique & virtutum & fortunæ ornamentis, apud omnes clarus, vitæ sociam expeteret, & inter multas delectum habere posset: tamen hanc vnam omnibus præferendam iudicauit. Neque enim tantus Princeps, quicquam in contrahendo coniugio, præter pietatem, castitatem, & innocentiam

am ſpectandam cenſuit: quæ virtutes, cum in Dorothea omnes, & quidem ſummo gradu conſpicerentur, ſummo etiam amore eam, & quidem caſto illo complexus eſt: ac coniugem eſſe voluit.

Sic enim DEVS, re ipſa oſtendit, ſe pietati & caſtitati præmia poſuiſſe: cum caſtis virginibus, ipſum timentibus, maritos commodos largitur. Sic diuina voluntate olim factum eſt, vt pia Rebecca Iſaaco, caſta Ruth, Boozo, Eſther clariſsima fœmina, regi Aſſuero nuberet. Sic diuino conſilio Dorothea iuncta eſt Illuſtriſsimo Principi: & nuptiæ magno apparatu, in multorum Principum, comitum, Baronum, nobilium præſentia, anno ſeptuageſimo quinto, ſeptima Nouembris, celebratę ſunt. Gratulabantur enim omnes boni, non modò ſibi, ſed etiam Reipub: & Illuſtriſsimo Principi, prouidentia diuina factum eſſe, vt tales coniuges conuenirent, qui pietate & virtutibus clariſsimi, exemplum omnibus coniugibus, vitę benè beateq́ʒ inſtituendæ, veluti facem quandam honeſtatis eſſent perlaturi. Nec eos fefellit opinio: nam vt in hoc matrimonio ſummus animorum conſenſus, officia mutua, obſequia honeſta in omnibus, & vt verbo vno multa complectar, turturum planè concordia conſpiciebatur: ſic pulcherrimum certamen, inter ambos illos coniuges, exquiſiti cuiuſdam & ſingularis ſtudij, virtutum omnium, ac inprimis pietatis, perpetuò fuit. Nam quæ virtutum ornamenta Dorothea in ſuo Principe conſpiciebat, ita ea affectabat, ita imitabatur, ſic ad ea toto conatu aſpirabat, vt vitam ſibi acerbam ſu-

dicaret, si non quasi vestigia Principis sui subsequere-tur in omnibus: & re ipsa probaret, se tanto Principe dignam coniugem. Et quidem id non simulandi arti-ficio, sed summo desiderio faciebat. Nam, vt supra meminimus, à primis statim annis, in virtutis studio, ad incredibiles profectus elaborauit: itaq; in hanc quasi virtutis scholam, non rudis, sed imbuta verè transmarina & cœlesti eruditione illa honestatis, venit.

Videbat Principem suum studium propagandæ doctrinæ cœlestis, omnibus suis fortunis antepone-re: videbat eum quotidie statis horis & preces ha-bere, & Biblia accurato studio euoluere: & cum lectio in circulum rediret, ea denuò inchoare. Videbat eum Lutheri aureos commentarios, & aliorum docto-rum virorum lucubrationes adiungere. Conciones accuratè, interpositis ardentissimis precibus, audire: animaduertebat, eius Celsitatem non solum diligere ministros, sed amare etiam: scholas instituere: doctorum virorum consuetudine delectari. Deniq; esse planè Ecclesiæ nutricium: & quidem talem, cum quo aut nulli aut pauci Principes comparandi sint. Summum hoc pietatis studium, ipsa feliciter imitata est: nam & sacros libros studiosissimè euoluit: & in arce conclaue habebat, in quo manè & vesperi pre-cabatur. Nam consilium Seruatoris Domini sequeba-tur, qui preces in recessu fieri voluit. Et quidem vt pijs omnibus, hac in parte solitudo placuit, quo liberius de-sideria sua, imò cor, corã patre cœlesti effunderent, ita Dorothea in hoc suo recessu, tacito colloquio, cũ Deo

suo,

ſuo, quotidie fruebatur. Auebat etiam ſæpe conciones, non ſolum ſuorum doctorum, quos habuit inſignes ſed aliorum etiam concionatorum audire. Et quidem varietate plus delectabatur, quàm cultiſsimis hortis, quos arci proximos habuit. Sic enim exiſtimabat, floſculos illos, quos illic plantaret, facilè leui vento motos impulſosq́ decidere & marceſcere: eos verò flores, quos ex Paradiſo ſacrarum literarum, & concionibus [illegible] duraturos ad perpetuitatem. Vnum ex multis dicam, quod ex fide dignis audiui, & meo iudicio, non modo laude, ſed admiratione digniſsimum eſt: eam nunquam quemquam concionatorem ſpreuiſſe: nec reprehendiſſe etiam, ſi quid non ſatis commodè fuiſſet ab aliquo dictum: & vt ipſa honeſtiſsimè de hoc ordine ſentiebat, ita non patiebatur alios, per calumniam aut ſcurriles iocos, proſcindere miniſtros, aut in contemptum adducere. Aliquoties etiam dixit, non modò reprehendendam Hebræorum intemperiem, qui Mannam cœleſtem illam & nauſea & contemptu exceperunt: ſed eos inprimis accuſandos, qui paſtum illum animorum, verbi videlicet Dei, aſpernarentur. Ita verò in hoc pietatis ſtudio elaborabat, vt ipſa etiam alios ad audiendas conciones ſua diligentia inuitaret. Nam non ſolum in arce conciones frequenter audiuit, ſed vt oppidanos ad curam & attentionem ſacrorum extimularet, ſæpè cum Principe egreſſa, in templo publico cōciones audiuit. Fanaticos homines, vt peſtem quandam animorum, fugiendos cenſuit. Ipſa Cœnam Domini ſæpè, qua par eſt animi ſubmiſsione, accepit nullam Cœnam lautiorem exiſtimans, quàm illam ipſam

vbi

vbi coniuges corpore & sanguine Christi ad immortalitatem reficiuntur.

Quis autem non dicat hoc coniugium verè beatum fuisse, in quo tantum pietatis studium, tanta cura religionis, tantus amor sacrorum extitit. Dauid de felici coniugio dicturus, carmen illud suum encomiasticum ita incipit: Beati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in vijs eius. Etenim cum timor Domini initium sit sapientiæ, existimandum est, sapientissimè œconomicas suas res instituisse, qui vero DEI timore imbuti sunt. Et si Ethnici homines contracturi matrimonium Iouem γαμήλιον inuocabant, (id enim persuadebat eis error, in quo versabantur) quantò magis nos, in hac luce veritatis, IESVM Christum sponsum Ecclesiæ suæ, & verè γαμήλιον, inuocemus: vt nostris coniugijs, imò verò conatibus, adsit. Id autem tùm demum consequemur, si vero Domini timore eum in nostras domos, aut potiùs amplexus vocauerimus. Et talis sanè in coniugio Dorothea extitit.

Iam verò quàm in conuictu benigna, clemens erga alios, præsertim erga pauperes fuerit, ne prolixa quidem oratione explicari posset: sed nos tantùm summa capita persequemur.

Primum enim pauperibus largissimè eleemosynas erogauit: ac clementer ad se admisit. Sæpè etiam preces ipsorum præuenit: nam cum certior esset facta, esse in vrbe aliquos, qui egerent, & tamen mendicare erubescerent, ipsa de industria missis famulis,

-, pecunia liberalissimè eos iuuit. Testabuntur hoc pauperes, testabuntur hoc gemitus miserorum, & lacrymæ, quæ ea defuncta funduntur. Confert D. illius diuitias flumini, quod non patitur sibi obijci aggeres: aut certè, si vi cohercere eius impetum velis, non sine detrimento rupturum ea, quæ sumptu maximo oppofueras: ita diuitias affluentes non esse per auaritiam includendas, & retinendas (angusti enim animi esse amare diuitias) sed operam dandam, vt effluant liberaliter ad pauperes. Quod si verò per vim detineantur, euersuras eas esse omnes fortunas nostras. Id animaduertens Dorothea, non censuit fontem liberalitatis includendum: sed riuulos deriuandos ad pauperum necessitates.

Nam si Christo & Apostolo credimus, beatius est dare, quàm accipere. Etsi enim largitio in pauperes, auaris videtur exhaurire fontem liberalitatis: tamen dubium non est, pios largiendo ditescere, & spargendo colligere. Dispersit, ait Dauid, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum: cornu eius exaltabitur in gloria. Hoc est, non esse homini in pauperes liberali, metuendam paupertatem: sed illa ipsa ratione, eum augeri. Quod sanè non tam breuiter quàm eleganter expressit Chrysostomus: Sparge, inquit, ne perdas: noli retinere, vt magis congreges. Redeunt enim profectò illæ sic erogatæ cum fœnore: non minus quàm semina in gremium terræ sparsa, multiplicantur: sicut eleganter scripsit Theologus [illegible] inquit, ὁ σῖτος εἰς τὴν γῆν [illegible], κέρδος τῷ τεμνομένῳ γίνεται, οὕτως ὁ ἄρτος

εἰς τὸν πεινῶντα καταβληθεὶς, πολύχουν τὴν ὠφέλειαν ἐ-ναδίδωσιν. ἔσω οὖν σοι τὸ πέρας τῆς γεωργίας, ἀρχὴ τῆς ἐπιούσ σπορᾶς. Imò verò cum eo ipso iudicemus, stomac pauperum horrea nostra esse, in quæ tutissimè, imò rò cum fœnore nostra frumenta deponamus. Ho luit etiam Seruator Dominus, cum inquit. Facite vo amicos ex Mammona iniusto, vt cum defeceritis, rec piant vos in æterna tabernacula. Præclare ig t hoc est Nazianzenus, dicens: suos parentes multa furatos Principi huius mundi: intelligit autem elee, mosynas, quæ quasi honesta furta sunt, subtracta prin- cipe huius mundi: qui studet pecunias duntaxat in the- sauros referre, ad auaritiam & obliuionem charitatis. Consilium certè hoc & Seruatoris Domini & Theolo- gi, diligenter secuta est optima Princeps: quæ ex the- sauris suis multum est suffurata Principi huius mundi. Nam sæpè concionatoribus suis bonam pecuniæ sum- mam (pro qua deinde rationem reddebant) dedit, vt e- am pecuniam maioribus portionibus, egentibus distri- buerent: & ne sinistra (quod in mandato Christi est) animaduerteret, quid dextra dedisset, diligenter elee- mosynarijs illis suis iniungebat, vt ne pauperes de authore beneficij facerent certiores. Sic enim cogi- tabat apud animum suum, in hac rerum humanarum fragilitate curandum esse, vt thesauri in loca tutiora, hoc est, cœlos ipsos transferantur. Nam in hoc mun- do eos etiam locos, qui ad accuratissimas rationes clausi sunt, non posse thesauros nostros ad perpe- tuitatem conseruare: cum elementa etiam in die

illo tremendo igne conuantur, ac cœli terraq; pereant: Consilio ergo Christi Domini Gazophylacium in cœlis parandum exstimauit, vbi corruptioni locus non sit. Has rationes asseruandarum diuitiarum vidit etiam D. Augustinus, cum inquit. Quemadmodum ruente domo, ad firmiora loca confugimus: ita ruente mundo, thesauri reponendi sunt in cœlis: vbi nihil est periculi. Has ergo sera . hæc repagula condendarum diuitiarum, nostra Princeps diligenter obseruauit: & studuit pecunias suas ad fœnus deponere apud Dominum.

At ne eo quidem modo illa sibi satisfecit: sed præter pecunias liberalissimè erogatas, medicinas etiam pauperibus curauit. Habuit enim in arce pharmacopolion, omni medicinarum genere & instructissimum & refertissimum: & quidem potissimum eam ob causam, vt subueniret ægrotantibus. Quamuis enim hæc magno sumptu parabantur, tamen indigentibus omnia gratis liberalissimè erogabantur. Nec ea in re duntaxat liberalitas, sed etiam vera charitas, cernebatur: quæ persuadebat illustrissimæ Principi, vt ne fastidiret pauperes: & si illi maximè importunius aliquando venissent, tamen molestiam creasse non viderentur. Quis est, qui non intelligat, hæc æternis laudibus esse digna.

Socrates scriptor historiæ Ecclesiasticæ, Placillam (Flacillam Græci vocant) Theodosij Imperatoris coniugem, eo nomine maiorem in modum prædicat: quòd ea in pauperes non modò liberalis,

ſed etiam benefica fuerit: & [illegible]forum cauſa, operas etiam, quæ ali[illegible]a famularum [illegible]erit. Repente, inquit, vt venit ad purpuram, claudorum & debilium maximam habebat curam: non ſeruis, non alijs miniſtris vtens: ſed per ſe ipſam agens, & ad eorum habitacula veniens: & vnicuique, quod opus haberet, præbens. Sic etiam per Eccleſiarum Xenodochia diſcurrens, ſuis manibus miniſtrabat infirmis: ollas eorum tergens: ius guſtans: offerens coclearia: panem frangens: ciboſque miniſtrans: calices abluens, & cuncta faciens, quæ ſeruis & ancillis mos eſt ſolenniter operari. Illis autem, qui ei tales res nitebantur prohibere, dicebat, aurum diſtribuere opus imperij: ego autem pro ipſo imperio, hoc opus offero, bona mihi omnia conferenti. Hactenus Socrates.

Cum ergo antiquitas non ſolùm pecuniarum erogationes, ſed operas etiam in ſancta illa fœmina laudauerit: non reticenda eſt pietas noſtræ: quæ etſi non ad viliſsimas illas operas deſcendit; tamen præter ſumptus, conſulendo, medendo, & omni, qua potuit ratione, officioſa in pauperes fuit.

Sed vt erga pauperes illa talem ſe oſtendit, ita in conuictu cum reliquis facilis admodum, & clemens fuit: pacis & concordiæ ſtudioſiſsima: ἀμνησίκακος, & ſuorum amantiſsima, ita vt famulæ etiam ſeruitutem non modo clementem, ſed eam quam omnes certatim expeterent, apud eius Celſitatem haberent.

Incredibile eſt, quàm matrem valetudi[illegible]iam amauerit: qua ſolicitudine DEO incolumitatem eius commen-

commendauerit: quoties, cum de morbo matris ex ru- moribus falſa etiam eſſent allata, maximis itineribus, iumentis etiam ad celeritatem comparatis, in patriam contenderit. Amicitiam cum fratribus, cognatis, pro- pinquis, affinibus, ſanctè coluit: vt in omni erga eos officio, nihil eſſet reprehenſionis. Imò verò poſtre- ma eius in Thuringiam ad nuptias profectio docuit, quàm charas haberet Domini ſorores. Etſi enim tum udinaria erat, tamen congreſſum cum amicis ſuæ incolumitati prætulit: & quamuis in itinere morbo- rum moleſtiam ſentiret, tamen eam omnem deſiderium ſalutandorum amicorum mitigabat. Præterea, quam- uis hic ſexus alioquin ad quaslibet difficultates trepi- dus eſt, tamen ipſa in aduerſa valetudine ſua, cum qua per totum ferè tempus coniugij conflictata eſt, ſum- mam patientiam oſtendit: non infelici murmure Deum offendit: non eſt de miſeria ſua impiè conqueſta: ſed ſe totam in obſequium D E I, à quo hæc omnia profi- ciſci ſciebat, reſignauit. Satis enim ex verbo D E I didicerat, eos, qui patientiam in afflictionibus demon- ſtrent, circumferre imaginem filij D E I. Imò verò ſæpè inter dolores, quos toto corpore maximos ſen- tiebat, dixit, patientiam non niſi in aduerſis cerni. Ali- quandò etiam, cum meliuſculè haberet, nec tamen ſatis eſſet firma valetudine, ex lectulo ſurgens, ad menſam principis accedebat: vt ne ex abſentia ſua & ſolitu- dine, eius Celſitati crearetur moleſtia. Sæpè cum in menſa expalluiſſet, & facies cæteros de valetudine do- ceret, tamen diſsimulato dolore, negabat ſe infirmam

 eſſe,

esse, ne conuiuium, inprimis autem Principem contristaret. Sed vna res ei perquam molesta fuit, sterilitas videlicet: vt enim in cæteris omnibus exhilarare Principem studebat, sic nihil magis ei in votis erat, quàm mascula sobole eum augere: vt tantus Princeps subditis eum successorem relinqueret, in quo virtutes paternæ conspicerentur: & Respub: feliciter gubernaretur: Ecclesia verò & vera doctrina Euangelij floreret. At cum hoc non impetraret, vitam sibi arte iudicauit: sæpè etiam, sed sine [illegible] optauit: in flore etiam ætatis extingui, vt Illustriss: Princeps fœcundum matrimonium, & ex alia vxore successorem habere posset.

Audiuit Dominus votum ab animi proposito, & pio studio in Remp: profectum: eamq́ʒ & ex morbo, & hac lacrymarum valle exoluit: de quo in postrema orationis nostræ parte pauca nobis dicenda sunt.

Cum Illustris: Princeps & Dominus D. VVilhelmus Fridericus Dux Saxoniæ, [illegible] gius Thuringiæ, & Marchio Misniæ, & fama [illegible] loria Illustrissimi Principis nostri motus, eius sororem, Dominam Sophiam, virginem Principem in matrimonium expeteret, & ad III. Nonarum Maij dies nuptijs esset dictus: Princeps magno comitatu in honorem nouorum coniugum profectionem Vinariam suscipit: cui se comitem adiunxit coniunx: quamuis non esset firma valetudine: sed vt diximus trahebat eam desiderium, & officij rationes, quas in omnibus persoluere amicis studebat. In hoc ergo itinere sese carminibus sacris

r tenebat, oblectauit: & tœdium pro-
at. Sed cum corpus, diuturna imbecilli-
cius etiam ex itinere haberet, capitis do-
maximo illo excruciata fuit: ſed ſtuduit
igere, ne hilaritatem nuptiarum pertur-
nariam Veniſſet, decumbere so[illegible]it: nec,
eſiderio erat, cõgredi cum amicis potuit:
nuptijs. Quod ei, non tam ſuo nomine, quàm amicorum cauſa moleſtum erat (nam diuturna corporis imbecillitas, in qua tamen quotidiè migrationem ex hac calamitoſa vita in meliorem meditabatur, eam ad patientiam dudum erudierat) vſuram paulò longioris temporis, ſalutandorum ſuorũ gratia exoptaſſet. Verum cum ex quibuſdam valetudinis ſuæ indicijs colligeret, aliter viſum eſſe Domino Deo Optimo maximo, domum redire cupiebat. Itaq; Illuſtriſſ: Princeps reditum maturauit. Cum autem Noribergam iam Princeps illa veniſſet, Pridie Pentecoſtes, ἀποπληξίᾳ correpta fuit. Senſerat ante annum huius morbi infelicia προοίμια ſed tùm ex eo recreata, crebris tamen defluxibus obnoxia fuit: ita, vt iam ante medici viderent, periculum valetudinis ex Apoplexia im̃inere. Quamquam autem induſtria eorum, ad eum morbum &
præcauendum & auertendum, diligenter euigilauit,
en, vt diximus, in eum morbum tandem inci-
. Hoc coniugis ſuæ dilectiſsimæ morbo, etſi Illuſtriſsimus noſter Princeps vehementer perculſus & perturba[illegible]s fuit: tamen humaniſsimè eam conſolatus, be[illegible]perare iuſſit: quod & Domini manus,

etiam

etiam in deploratis morbis, qui remed
diare viderentur, non sit abbreuiata, f
Seruatorem Christum credentes certa
felicitas maneat: Itaq; Dominum ei
gust ijs certò affuturum, neq; vnquam
ne Spiritus sancti deserturum. Hanc p
rissimi Principis sui consolationem cum
& auribus audiuisset, manū Principis,co
suauissimè compressit, atq; haud obscurè significauit,
se eam consolationem toto pectore, & vera in Deum
fiducia amplecti. Et cum post aliquod temporis interuallum, natura aliquem conatum aduersus morbum ostenderet, & ipsa, per illam occasionem, primum de ea spe, quam in Christo certam repositam habemus, ab aulæ concionatore admoneretur, diserta asseueratione testata est, se consentire. At cum iam morbus spiritum intercluderet, vt effari nihil posset, tamen præeuntem consolatione ministrum aliquoties nutu subsecuta est. Et quidem ferè ad vltimos spiritus gestu docuit, se omnem fiduciam in Seruatore Domino posuisse. In hac etiam morbi vehementia, summam patientiam ostendit: ita, vt ne indecoro quidem aliquo membrorum motu, oculos circumstantium offenderet: Et sanè cum Dominus in Heroibus & Heroinis multa oste
dat, ad alios homines commonefaciendos: non d
tauerim ipso die, quo ante annos mille quinge
octogenta tres, Christus spiritum suum sanctum effudit in discipulos, hanc etiam Principem inter tacitas illas preces & gemitus decoros, voluisse expirare vt

illustri

illustri specimine doceret, Spiritum sanctum esse spiritum gratiæ & precum: ac cum deficiat caro & Spiritus noster, eum intercedere pro nobis gemitibus inenarrabilibus: & in summa imbecillitate nostra, virtutem eius nonmodo conspici, sed etiam perfici. Habuit etiam Princeps Illustrissima, in extremis, hoc beneficij, quod citò mortis vinculis soluta, nulla longiore mora cruciatuum interposita, ad cœtum illum beatorum, & concilium sanctorum, vt cum Christo, in sempiterno illo æuo, beata viuat, euocata est. Etenim vt magnum indulgentiæ diuinæ signum fuit, quod Elias subitò, viuus curru igneo sublatus est, nec inclementiam mortis sensit: dubium non est, eos qui placida morte, sine sensu aliquo acerbiore, quasi in quietem optatam soluuntur, & ἀσφαδάστῳ πνεύματι, vt eleganter poeta dixit, hâc miseram vitam, cum meliore permutant, magno DEI beneficio affici. Sic ergò Illustrissima Princeps, fœmina lectissima, animam suam in manus Domini anno Domini octogesimo tertio, decima nona Maij, quæ fuit dies Pentecostes inter horam octauam, & nonam matutinam resignauit, cum vixisset annos viginti tres, menses vndecim, minus vno die. Itaq; circa id ferè tempus quo nata fuit, diem suum clausit. Et cum longissima vita digna esset in ipsa iuuenta, in ætatis flore tincta est. Hoc illud est, quod Esaias Propheta scripsit, omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri. Vt autem viua Illustrissima Princeps, omnium in se oculos, propter insignem formam, qua erat prædita, conuertit, ita iam mortua admirandum sanè

ſpectaculum circumſtantibus præbuit. Nam cum expiraſſet, fugiebat quidem vt calor, *ita* & color: ſed oculi ſponte claudebantur: non erat illa rictu formidabilis, non diſtorta ei facies, quæ intuentibus horrorem (quod in alijs fit) crearet: deniq; non extincta eſſe, ſed quieſcere videbatur: imò cum mors vitam rapuiſſet, forma tamen eam omnino exuere non potuit: manebant enim veſtigia aliqua eius pulchritudinis, quam in vita habuerat. Et quamuis votum eius de reditu in patriam, ſecundum externas rationes ratum non fuit, tamen illi ipſi voto cumulatiſsimè ſatisfactum eſt: cum pro patria illa ærumnoſa æternam illam, omnis doloris & moleſtiæ expertem, cum pro vita caduca immortalem, pro cruciatibus quietem, pro triſtitia æternum gaudium, quod oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non venit, acciperet.

Præclarè ergo quidem cum ea actum eſt: ſed Illuſtriſsimo primùm Principi, deinde etiam ſubditis, triſte ſui deſiderium reliquit. Imò Noricus Senatus, & populus, omni ratione docuerunt, ſe in ſocietatem doloris cum noſtro Principe veniſſe: cum ſe, ac ſi ſubditi eſſent, ad omnia obſequia offerrent: funus autem defunctæ, comitatu maximo, honeſtiſsimoq; deducerent. Nam cum corpus Norinberga efferretur, mille ducenti ſcholares præceſſerunt: Eccleſiæ miniſtri quadrag ta: ſubſecutus eſt vrbis Senatus, & ſecretior ille e patribus & procerib: & maior quem vocant: Poſt funus verò, & Illuſtriſsimum noſtrum Principem, Principes virgines, & nobile Gynæceum, & aulicos nobiles,

biles, ſecuti ſunt patricij propè omnes: multitudo populi vtriusque ſexus infinita: Inter quos multi non obſcura ſigna dederunt, quantum hoc triſti caſu commouerentur. In quibus multi etiam dicerent, hunc Principem humanitati & clementiæ natum, & nón modo ſuorum, ſed etiam exterorum maximum εὐεργέτην, indignum, qui tàm triſtia experiatur. At verò, cùm triſtis ille nuncius primùm Stutgardiam, deinde Tubingam veniſſet, D E V S bone, quanta omnium conſternatio, qui gemitus, quàm profuſæ omnium lacrymæ, qui fletus & eiulatus. A fide dignis accepi, cum famulæ, quæ in arce Stutgardiana relictæ fuerant, de obitu Principis humaniſſimæ fuiſſent certiores factæ, non iam fletum & ploratum, ſed clamores ſuſtuliſſe, vt miſerabiles illæ voces, in tota vicinia perſonarent. Vidiſſes in plateis pueros propè infantes flere: virgines & adoleſcentes hunc caſum deplorare: decrepitos ſenes, & canos ſuos fædare, & fortunam accuſare, quæ vitam ipſis, ad tam triſte ſpectaculum & pœnam prorogauerit. Pauperum autem, quàm miſerabiles erant eiulatus, quanta animorum perturbatio. O nos miſeros dicebant, O triſtem reditum, O inexpectatam cladem, O noſtrum & Principem & patrem: quem veremur, ne extincta chariſsima coniuge, ipſe etiam deſiderio extinguatur. Nos certè miſeri in illa præclara fœmina, non Principem, ſed patronam, ſed matrem, ſed ſolatium vrbis, ſed perfugium & aſylum amiſimus. Et hæc quidem Stutgardiæ.

Sed qui in oppido noſtro mœror, quàm triſte ſilentium fuerit, ipſi nouiſtis. Vidiſtis ruſticanorum

hominum tantum concursum, quantum maximum Tubingæ non vidimus: templum illud capacissimum, eos non capiebat. Certè Senatus, & vos omnes, & plebs etiam, cùm non possemus, id quod numini visum est, mutare, tamen gemitu & lacrymis acerbissimum dolorem, quoquo modo testari voluimus: & eam, quam longissima vita dignam iudicauimus, cum sepulchris Principum, ea qua decet pompa, inferretur, tristi sumus desiderio prosecuti: & tacitis precibus supplices DEO facti sumus: vt ne acerbissimi doloris sensus nouo aliquo & maiore malo conduplicetur. Sed ex imperitis hominibus reperti sunt, qui à murmure impio non abstinerent. Sunt ne hæc, dicebant, præmia pietati posita? quod optimus Princeps qui vnus ex omnibus, præcipuè repurgationem Ecclesiæ curat, exoptat, promouet, cùm humanitatis & officij causa ad nuptias sororis proficiscitur, cùm affines & sorores salutare cupit, in ipso hoc honestissimo proposito, vxorem charissimam, sine prole, in via, apud peregrinos, morbo tàm inexpectato amittit? Potuit ne diuina bonitas ita obliuisci in ira misericordiæ suæ, vt hoc tàm honestum gaudium, nostrò Principi, tanta tristitia contaminaret? sunt ne res humanæ, curæ numini? aut regit ne vitam fortuna, non sapientia: cum eadem & pijs & impijs accidant: sæpè etiam optimi viri deteriore loco sint, quàm sceleratissimi & nefarij homines?

Possent certè hæc cordati etiam hominis animum ad dubitationem inflectere, nisi & sanctorum exempla, &

pla,& tota Sacra Scriptura, de his aliter nos docerent.

Ex multis breuitatis cauſa intueamur Iacobum illum, fide,conſtantia,pietate, omni virtutum genere, toto orbe celebrem: Eccleſiæ nutricium: veritatis ὑπερασπιστὴν. cui & Dominus ampliſsimas promiſsiones fecit, & quaſdam etiam ipſo defuncto, ita luculenter præſtitit, vt nemo niſi emotæ mentis, dubitare poſsit, eum & Deo curæ fuiſſe, & Dominum in eum non modò viuum, ſed mortuum etiam, ratione poſteritatis,multa præclara contuliſſe. Interim conſideremus, quot ille calamitatibus obiectus fuerit: imò vero præteritis ijs,quæ & multa & acerbiſsima ei obiecta fuerunt, duntaxat afferamus ea,quæ propter chariſsimam Rahelem vxorem perpeſſus eſt: & videbimus non tàm ouum ouo ſimile eſſe, quàm illa Iacobi, ſimilia ſunt ijs, quæ optimo noſtro Principi contigêre. Rahelem ita amabat, vt in eius amore ſolo, prope acquieſceret: ſed ſterilitas eius, optimo viro,& deſiderium & moleſtiam creat. At cum à DEO exauditus, Ioſephum ex Rahele ſuſcepiſſet, Dinæ filiæ vitium obijcitur: Sichimitæ à Iacobi filijs trucidantur. At cum poſtea clementer fortuna ei aſpiraret, & vnà cum Rahele grauida,pietatis cauſa,ad patrem Iſaacum grandæuum proficiſceretur, vt & patris conſpectu ſe & vxorem oblectaret, & rurſus pater videns, Rahelem vterum geſtare, exhilararetur: en in via,inter peregrinos, in ipſo partu deficit, & moritur pulcherrima Rachel: itaq; gaudium, quod optimus vir animo conceperat, abit in triſtitiam: & iam filius ex eo nomen

erat accepturus, Benoni, id eſt, filius mœroris, niſi Iacobus triſtitiam illius nominis, lenitate alterius vocabuli, quod ipſe ſubiecerat, mitigaſſet: filium vocans Beniamin, hoc eſt, dextræ filium. Quis non videt, in multis fortunam Iacobi reſpondere ijs, quæ noſtro Principi nunc triſtiſsima obijciuntur. Itaq; ſi de fauore Domini erga Iacobum non dubitamus, quamuis eius vita multis malis expoſita fuerit, ita vt Regi Pharaoni, de ætate ipſius quærenti, rectè reſponderit, Dies pauci & mali: non dubitemus, ſingulari DEI conſilio id etiam geri, quod nunc in manibus eſt: & nos vehementer perturbat.

Etſi autem eórum, quæ diuinitus geruntur, non ſemper rationes aſsignari poſſunt: tamen hac in parte Sacræ literæ diſertè nos erudiunt, calamitatibus varijs exerceri pios, ne cum hoc mundo condemnentur. Similes etiam nos fieri imaginis filij DEI, qui omnibus rationibus tentatus fuit. Non amiſſos, ſed præmiſſos eſſe eos, qui ex hac vita excedunt. Cogitemus etiam, idcirco Dominum chariſsimos homines, ex conſpectu noſtro ſubtrahere, & in æternum ſuum regnum transferre, vt deſiderium illius aſſequendæ in nobis acuatur: vt & nos cupiamus ſubſequi, & frui conſpectu cùm eorum, quos præmiſimus, tùm Chriſti, quem toto animo expectamus. Conſideremus etiam, Deum res humanas ita lætis & triſtibus temperare, vt in iis, quæ triſtia nobis accidunt, ſæpè & felicitatem & emolumenta noſtra meditetur: & rebus aduerſis, cancellos quoſdam circumſcribere, quos egredi non poſſint, ſed cogantur etiam euadere in acceſsionem ſalutis noſtræ. Et quemadmodum mercatores, precioſiſsimas

[..]as merces, aut papyro bibulæ inuoluunt, quæ integumenta, si maximè tristitiam & molestiam oculis afferant, tamen cum preciosa illa ex ijs euoluuntur, ne illa quidem aspernamur: sic Deus afflictionibus & calamitatibus sæpè tegit ea, quibus reficere & recreare nos instituit. Pro omnibus vnum exemplum Iobis, patientiæ nomine celebris, intueamur: qui cum omnium iacturam fecisse videretur, in ipsis damnis, lucrum amplissimum tandem inuenit. Imò mors ipsa, quæ acerbissima homini accidere videtur, inuolucrum est, cui Deus æternos illos thesauros inuoluit: neq; enim adire hæreditatem illam sempiternam possumus, nisi ante molestia huius corpusculi liberati & exuti, in stationem illam amplam euadamus: regnaturi cum Christo in omnem æternitatem.

Non ergo turbent nos illę cogitationes, de quibus supra diximus: quas animus noster, non satis meditatas & politas ex tenebris perpetui erroris sui affert: sed intueamur facem verbi Dei, idcirco numinis beneficio accensã, vt in loco obscuro, vestigia Dei sequamur

Id quod illustrissima nostra Princeps fecit: quæ cũ claris parentibus nata esset, fide & virtute vitam ornauit: & cum ex illa sua statione euocaretur, mortem per Christum ita vicit, vt in morte vitam, & quidem sempiternam inueniret.

Te æternum patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore oramus: vt spiritu S. tuo corda nostra nõ modo ad obsequiũ tuũ reformes, sed etiam animos nostros, cũ exempla illa fragilitatis humanæ, in occasu sũmorum hominum, & qui in flore ætatis sunt, ostendis, erudias:

vt corde

vt corde ſapienti ambulemus: & horam mortis, ignotam illam quidem nobis, ſed certam tamen, quotidie meditemur. Et quia ita tibi viſum eſt, Illuſtriſsimam Principem noſtram, rebus eximere humanis, optamus, vt ei reſurrectionem lætam largiaris. Quamuis autem noſtræ multiplices noxæ merentur, vt iram tuam in nos acuas, te tamen propter eum, in quo ſolo dilecto genus humanum dilexiſti, rogamus, vt Illuſtriſsimum Principem noſtrum, qui verbum tuum non modò amat, ſed ad poſteritatem etiam, inſtitutis ſcholis, & omnibus rationibus propagare ſtudet, deinde felici & clemente gubernatione ſua, te & duce & comite facit, vt regio iſta floreat, denique in omnibus planè ſit Pater patriæ: rogamus inquam ſupplices, ne quem tuo beneficio patrem accepimus, auferas ſed conſerues eum Eccleſiæ tuæ: ſubindè acceſsione nouorum donorum augeas, defendas, & tuearis: vt in ocio & pia pace, ſub eius fideli & pacata gubernatione, Euangelium tuum audientes, te & agnoſcamus, & in omnem æternitatem celebremus, Amen.

SEQVVNTVR DEINCEPS ERVditorum Virorum iuuenumq́, de illustrissimæ D. Dorotheæ Vrsulæ funere, NÆNIÆ.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI LVDOVICO DVCI VVirtenbergio & Teccio, Comiti Mompelgardio,

In funere vxoris,

DOROTHEÆ VRSVLÆ, MARCHIonissæ Badensis, Dominæ genere clarissimæ:

QVAE OBIIT NORIMBERGAE DIE pentecostes, Anno Christi, CIↃ Ɔ LXXXIII.



Tflore & almi germine bàccharis
Evincta flavas Melpomene comas
Gressus adornabat propinquos,
Inclite D.V X, tibi gratulatum,
Adventum .n urbis compita Noricæ,
Et iam penates triste petóritum
Intrabat, advectans maritam,
Aegidii prope tecta fani:
Cum turre ab altâ clangor Olympias
Turbat volúcres funebris. En malum
Omen, malum hercule ac sinistrum
(POEMERIO ore gemente dixi)

Quòd signa dantur tristia mortuis.
Quin immò vivis: subijcit ille. Vix,
Vix biduanus tute nostrâ
Hospes in urbe moraris, ex quo
Vinariensis læta sororii
Thuringum ad Ilmum gaudia cum tuâ
Vxore liquisti, Necrinos
De subito repetens recessus.
Invidit amplæ lúgubris Atropos
Felicitati. nec mora, rumpere
Aggressa vitæ longioris
Stamina DOROTHEAE, Badeni
Celso creatæ sanguine CAROLI,
Te reddit orbum, te viduat tori
Consorte carâ. Solus eheu
Solus ages nemore in retruso
AEvum, dolendo, turturis in modum
Suavi carentis compare, quam nocens
Auceps dolosâ fraude cepit,
Aut celeri feriit sagittâ.
Vides, ut altos dent gemitu sonos,
Lessumque ducant ob Dominam invicem
Orbæ gynacéi puellæ?
Largifluoque genas rigatæ
Madore fletûs, ut tudirent gravi
Vitale pugno pectus, & insuper
Heu fata, dira fata, mæstæ
Ingeminent tetricis querellis?
Gemmæ, & nitescens vestis, & aureæ
(Aiunt) mitellæ hinc ite agedum procul:
Simulque prævelare tendunt
Timpora funereâ cupressu.

Peg-

Pegnessus imo tot querimonias
Undans ut hausit gurgite, protinus
Nymphae sorores lacrimarum
Flumine delicuisse visae.
Cum Fama iugem perculerit Necrum
Rumore certo, quid rogo acerbius
Sic derelictae, maeste PRINCEPS.
Accidere heu patriae potestur?
Quid nationi? quidve Academiae?
Quid iunctiori sanguine proximis?
Haud defetiscetur piarum
CRUSIUS Aonidum sacerdos
Chordis sonorum tendere barbiton,
Et vestra Graio plangere funera
Cantu, parentalemque mutos
Ad cineres iterare vocem.
Alter quis autem est, qui numerosior
Orationis lemmata funebris
Concinnat, & cursum diserto
Integrat ore, ruentis instar
Amnis secundo flumine? Diis ego
Diis advocatis supplico, queis mea
Sunt usque cordi plectra, donent,
Non homines modò posse doctis
Ad condolendum cire melodiis,
Feras sed ipsas, & lapides rudes,
Totasque silvas lacrimosa
Frangere carminibus cicutae,
Et vim cycnéam subdere piscibus.
Haec norat Orpheus, Ismarius canor:
Haec norat Amphion, & ipsa
Vocis Arioniae facultas.

Stat flere privatam aëre coniugem:
Stat prole cassam simplice conqueri.
At non beatam exclusit illi
Mors animam à superûm ducatu:
Ut nec tibi, DUX o celeber, viam
Obsepsit arctam luctus, ab alterâ
Qui te (sed olim) copulandâ
Arceat, ob subolem creandam.
Sic spero sanè. Cetera ne nimis
Luge, sed eventum aequanimus Deo
Committe. Post nubes suëvit
Auricomus rebitare Titan.

P. Melissus Francus, Comes
Palatinus & Eques,

CIVIS ROMANUS.



ΕΙΣ ΘΑΝΑΤΟΝ

ΤΗΣ ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΗΣ ΟΥΙΡΤΕΜ-
περγικῆς καὶ τεκκίας Δουκίσσης, κομιτίσσης Μομπελι-
γαρδικῆς, κυρίας Δωροθέας
Οὐρσούλης.



Οὕτω φαιδιμόεσσ' ἡρωῒς ἀπέστιχεν ἡμῶν;
οὕτως ἡλικίης ἀλλαὸν ἄνθος ἀφῆ;
Αἴ αἴ, κάρτα ἀφῆ. Ἡμεῖς δ' ἠλπίζομεν, αὐτὴν
Τέρψεσθαι μακρῷ καὶ πολύπαιδι βίῳ.
Ἄλλως μέλλε θεῷ φίλον ἔμμεναι: ὅς, σοφὸς οἷος:
ᾧ μέλεται ἡμῶν, ἠπίῳ ὥστε πατρί.
Γῆρας τίμιον, οὐκ ἐτέων τὸ πληθὺν ἀριθμοῦν:
οὐδὲ μάλιστα, ὅπερ παισὶν ἀγαλλόμενον:
νοῦς δὲ θεοφροσύνῃ φιλοθηρῶν, καὶ δίχα μώμου
οἰκήσας, πολιὴ τίμιος ἐστὶ πάνυ.
Νῦν ἐν τῇ πέλεται: θυγάτηρ ὅτι πίστει ἐοῦσα,
Ἀβραάμου κόλπῳ ἐστὶν ἐν εὐσεβέος:
Εἴπερ θυγατέρες τε καὶ υἱέες Ἀβραάμοιο:
οἳ πίστιν σαθερὰν θρέψαμες ἐκ θεοῦ.
τῷ δ' ἁγίᾳ τριάδι, ψυχαῖς θ' ὁσίῃσιν, ὁμιλεῖ,
ἐν ἀκαταλήκτῳ ὀλβιοδαιμονίῃ.
ΧΡΙΣΤΕ θεός, σὺ δὲ σὸν πιστὸν θεράποντα φυλάσσοις:
Εἰς μακροὺς, ἡμῶν πρὶν ὑμ ἄτακτα, χρόνους.
Ἐκ στοναχῶν πένθους τ' ἀνέγειρε μιν αὖτις: ἰδ' ἄυξε
πλειότερ', οἷς αὐτὸς πάνσοφε οἶσθα τρόποις.

Μαρτῖνος ὁ Κρούσιος, κθ΄. Μαΐου, ἔτει ͵αφπγ
(θαπτομένης τότε τῆς μακαρίτιδος) ᾗ
ἡμέρᾳ Κωνσταντινούπολις ὑπὸ Τούρκων, α υνϐ.
ἐξεπολιορκήθη.

IN OBITVM ILLV-
STRISSIMÆ DVCIS VVIRTEMBER-
gicæ & Tecciæ, Comitis Mompeligardicæ, &c. D. Dorotheæ Vrsulæ.



Iccine de medio clara Heroina recessit?
Ante diem liquit sic iuvenile decus?
Heu cessit. Nos at multis speravimus annis
Victuram lætam, progenieq́; bona.
Diversum voluit, cui rerum summa potestas:
Qui solus sapiens, qui placidusq́; pater.
Non est annorum numero spectanda senectus:
Nec fit præcipuè prole beatus, homo:
Mens pietatis amans, mens libera criminē vitæ,
Canities veris est veneranda modis.
Felix, illa: sinu quæ magni nunc Abrahami,
Iustificata fide, filia chara sedet:
Si modò, qui Christo nituntur mente fideli,
Natos & natas verè Abrahamus habet.
Ergo Deo fruitur, Sanctorumq́; agmina cernit:
Lætitiam carpit, quæ sine fine manet.
CHRISTE tuum tu cultorem servato fidelem:
Longæva nostrum pace tuere Ducem.
Deme gravem luctum miti: maioraq́; confer
Commoda, eo, quem scis ipse, benigne, modo.

Martinus Crusius, V. L. in Tybing.
Academia Professor, XXIX. Maij,
CIↃ. IↃ. XXCIII. quo die Constan-
tinopolis 1452. (alij. 1453)
à Turcis expugnata fuit.

ILLVSTRISSIMO AC CLEMENTISSIMO SVO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO LVD. DVCI VVIRT. &c. LVGENTI.



Armine lætantur, triſtantur carmine vates:
Diverſum præſtant verſibus officium.
Cum læto quia lætus eram, cum Principe triſti,
Triſtis ero: cauſam carmen vtramque decet.
Sic ne tuæ vitæ te Dux diadema reliquit?
Num ſic hinc abijt non reditura domum?
Quod dederat, rapuit DEVS. Hoc ſed cur? QVIA SIC VVLT:
Munera quando placet, datáque rapitáque ſuis. Nach Gottes willen.
Nec noſtri ſumus: ipſe creat: nos deſtruit ipſe:
Deijcit & tollit, privat & auget ope.
Pallida mors æquo pulſat pede Principis aulam,
Paſtoriſque caſam: turbat vtramque domum.
Non ſexum, non ætatem, non corporis artus,
Non animi curat dona: nec arma fugit.
Vnicus hic hoſtis truculentus territat omnes:
Conficit ille malos, conficit ille bonos.
Vnicus eſt noſtrum ſolamen CHRISTVS IESVS:
Hunc hoſtem ſolus, vincere CHRISTE potes.
Et iam viciſti: credentibus amplius & mors,
Non mors, ſed vitæ ianua certa novæ.

Incly.

Inclyte Dux Ludouice tuum tu contrahe luctum:
Viuit cum CHRISTO *nunc diadema tuum.*
Macte vir esto: DEVS *nobis hæc vulnera fecit:*
Solus sanabit vulnera tanta DEVS.
Non animo hostili factum, sed mente paterna.
Sanciat, vt saluet: sæpe, nocendo iuuat.
Consilium illius non perscrutabile nobis:
Quem finem quærat, denique facta probant.
Viuit adhuc, ambit, iungit, fœcundat, & auget:
Iacturam pensat pro pietate Patris.

Subiectissimus

Pædagogarcha Leonh:
Engelhart.



DB

DE FELICI, EX HAC VITA, MI-
GRATIONE, EIVDEM PRINCIPIS, &c.

ECHO EBRÆA,

Scripta à
M. Conrado Kirchero Augustano.

מה היא ישבה חקיר מבכה אין לה מנוחם	אה אם
לא אם לך אני את מי תבקש העיר ישרה	עירה
שרה במדינות כל משרהת ביגיע	איה
זמה תבטחון זה איר בטחת בחבל	אבל
בשר שם זורעו האנש ארור עד לעולם	חרל עם
טוב לך לחסות בשר יה׳וה כי בו רצח	אגה
כי עזך וזמרתך יהוה גם לך ישועה	שו אה
חן עליו דרכך כי חסידיו הוא יעשה טוב	ארוב
עד במה פעמים את מצעקת עת דמי נא	מי בא
אה פתאם דמי עתה הדקר נגשך ותגיל	אגיל
שרתי בשמים אני עם קדושי מל׳ים	אחים
עמי מלאכי עליון ונשים עמי צדקות	אחות
מלכות לי לעולם משבצת שדי לי לשיבה	שבעה
היה לי לאור עולם אלהים גם הוא כבודי	חודי
הקם שתי שמנים יעשה ומעשתי שמורים	ירים
מטוב לב ארנן באלהים הוא בעדי גיל	עי גיל
הנה בן יברך כל אשר חסה באדני	אני
בן גם את וארץ וורסבתג אל כלם אקוה	נוה
בלבנו ישמח אז יהוה גאל בימן	אמן

LATINIS LITE-RIS VOCES EBRÆÆ EXPRESSÆ *sunt: vt constaret de harmonia, quam obseruauit echo.*

MAh hi iasch.bah hair mebakke en lah menachem:	*ach em*
Lo em lak ani eth mi thebaqqesch hair ieschara:	*sara*
Sara bammedinoth kol meschaRetheth baijegia:	*i iah*
Vmah habbetachon Zeh ascher batachath bechebel:	*ebel*
Basar sam Zeroo haenosch arur ad leolam:	*chol am*
Tob lak lachasoth bassar Iehouah kibo renanah:	*anah*
Ki Vzzek vezimrathek Iehoua gam lak ieschuah:	*schuah*
Hen alaiu derakek ki chasidaiu hu iaaseh tob:	*edob*
Ad kammeh peamim ath mezaeqeth eth demi na:	*mi na*
Ath pithom demi athah theraqqed naphschek vethagil:	*agil*
Sarathi beschamaijm ani im quodsche melackim:	*achim*
Immi malache elion venaschim immi Zedaqoth:	*achoth*
Malkuth li leolam mischke noth schaddai li leschiba:	*siba*
Haiabli leor olam elohim gam hu kebodi:	*hodi*
Hen mischtere schemanim iaaseh vmischthe schemarim:	*iarim*
Mittub leb arannem beelohim hu baadi gil:	*ẽi gil*
Hinne ken ieborak kol ascher chasah baadoni:	*ani*
Ken gam ath veerez VVirtenberge kullam aqauue.	*nauue.*
Kullanu iesammach az Iehouah goel beiamen:	*Amen*

VERSIO

VERSIO LATINA,
QVÆ SINGVLIS VERBIS, IN *EBRAEA PHRASI, RESPONDET.*

QVid hoc, quod ſedet ciuitas hæc plorans, nec eſt ei conſolator?	*Heu mater.*
Non ſum mater tua: quem quærit ciuitas iſta laudata?	*Principem*
Domina in prouincijs omnis ſeruit in labore:	*O Deum*
Et quæ ſpes iſta fuit, cum ſperares in funem?	*Luctus*
Carnem ponens brachium ſuum vir maledictus in ſecula:	*Dolore afficitur popul.*
Bonum tibi fuerit ſperare in Principem Deum: quia in illo eſt exultatio:	*O*
Quoniam fortitudo tua, pſalterium tuum Deus, etiam ſalus tua:	*O ærummam*
Ecce ad eum vias tuas (volue) quia ſanctis ſuis ipſe benè facit:	*Dole.*
Quoties clamabis tu? tempus eſt: tace quæſo.	*Quis nam?*
Tu citò taceas: nunc exultet anima tua & lætetur:	*Lætabor*
Princeps in cœlis ego ſum: cum ſanctis regibus (viuo)	*Cum Fratribus?*
Mecum ſunt angeli ALTISSIMI, *& mulieres mecum iuſtæ:*	*Sorores?*
Regnum mihi eſt ſempiternum: tabernacula omnipotentis inhabito:	*Satis eſt*
Eſt mea lux perpetua Dominus, & honor meus eſt:	*O gloriam meam*
Ecce conuiuium pinguium facit, & conuiuium defecatorum:	*Exaltauit (te certè Deus)*
Ex bonitate cordis in Domino iubilo: is propter me lætatur:	*O aceruum gaudij:*
Ecce ſic benedicitur omnis qui ſperat in Dominum:	*Et ego?*
Rectè, tu quoq;, & terra VVirttenbergica: vos omnes expectabo:	*Deſideramus (iſtud).*
Omnes nos exhilarabit tunc DEVS *redemptor in dextera.*	*Amen.*



ELEGIA CONSOLATORIA.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM DOMINVM LVDOVICVM,

Dei Gratia Ducem VVirtenbergiacum & Teccium, Comitem Montispeligardi, &c. Dominum suum clementissimum, ducentem funus dulciss: ac pientissimæ coniugis suæ, Illustrissimæ Dominæ ac Ducissæ, Dominæ DOROTHEÆ VRSVLÆ, Marchionissæ Badensis & Hochbergensis, &c.

SCRIPTA.

A M. IOANNE SCHOLTIO VRATISLAVIENSI Silesio, S. Theologiæ in Academia Tubingensi studioso.



Rgo tuis etiam patriæ pater optime curis,
 Sic seges atque ingens ansa paranda fuit:
Sicque peregrini tentanda potentia cœli,
 Esset vt in luctu patria tota domi:
Ergò ne sic nostris insultant Numina rebus,
 Finiat vt tristis gaudia cuncta dolor:
Dumque alijs castum thalami Dux firmat amorem,
 Ipse sui ploret fœdera scissa thori:
O vos Tyrigetum colles, & Norica castra,
 Clara quibus toto fama sub orbe volat.
Quis Deus in nostros ah iugera vestra labores
 Armat, & his causam fletibus esse iubet:
Nam redit heu vestris miserabile funus ab aruis,
 VVirtembergiacæ pulcra corona domus.
Heu redit à vestris species mœstissima campis,
 Quæ fuerat nostri gemma corusca soli.

Vrsula supremi donum cœleste parentis,
Principis & coniunx Vrsula fida boni.
O infausta dies niueis qua vecta quadrigis,
Existi è nostris Marchionissa iugis.
O iter infelix, dulcem pia costa maritum,
Quo procul à Patrijs es comitata focis.
Ergò velut rapta viduatus compare turtur,
Ad gemitum noctes prouocat atque dies.
Et vacua stridens ales lacrymosus in vlmo,
Nil nisi funestum concinit vsque μέλος:
Sic abit in lachrymas tibi cor nunc omne profundas,
O veterum princeps flos, LVDOVICE, ducum.
Et siue Oceani vitreis consurgit ab vndis,
Siue suas iterum Cynthius intrat aquas.
Te iuuat heu longas impendere questibus horas,
Atque pio sanctas imbre lauare genas.
Dum nihil ante oculos nisi coniugis errat imago,
Quæ fuerat vitæ spes columenq; tuæ.
O nunc Elysijs huc si remearet ab oris,
Ille tui nemoris Calliopæa decor.
Qui cythara manes potuit reuocare sepultos,
Et mulcere suis saxa ferasq; modis.
Forsan in hoc caperes moderamina debita luctu,
Si premeret notæ fila canora lyræ.
Ast hîc Threicij nimis est vis languida plectri,
Gratia Phœbææ nec satis apta chelys.
Namq; sonum reddunt tenues vix molliter aures
Qui ferit, ast menti gaudia nulla parat.
Vna sed est sacri dulcissima Musica verbi,
Qua nec in æthereis dulcior vlla plagis.
Quaq; suos etiam solitus compescere luctus,

Psalmograp... ptri clarus honore senex.
Vna hæc ad cunctos est ceu Panacæa dolores,
Omneq; curarum discutit vna genus.
Hæc ego cœlestis dum fila sonantia chordæ,
Tempore tam tristi Dux LVDOVICE peto.
Quæq; tuis requiem posint inducere curis,
Occino de sacris vndique sumpta libris.
Respice me placido quo respicis omnia vultu.
Et studium læta suscipe fronte meum.
Sunt alij fateor, melior quibus imbuit ora
Castalis Aonijs labra rigatq; vadis:
Sed tamen hæc manant animi de fonte sereni,
Sunt & ab officio non aliena meo.
Nec tenuis pigeat cantus audire clientis,
Sit licet ille tua conditione minor.
Quippe tenet summam cœli sol igneus arcem,
Aspicit hæc radijs & tamen ima suis.
DOROTHEEN igitur quòd sic lacrymaris ademptam,
Delitias animæ dimidiumq; tuæ.
Iure facis, gemitusq; istos non improbat ipse,
Imperium fati qui tenet omne Deus.
Non etenim nostras vt saxa stupescere mentes
Iussit, & in rigidas degenerare feras.
Ipse sed humani sic quassat viscera cordis,
Indit & has nobis cœlitus ipse faces.
Sanguis vt agnati rapiatur sanguinis æstu.
Alter & alterius ceu sua damna gemat.
Sic senis ad tumbam tulit Isacus ossa parentis,
Per niueas mittens densa fluenta genas.
Sic fuit in largos gens versa Aegyptia planctus,
Cùm pius Isacides contumulandus erat.
Quid quòd & ipse Dei genitus de corde parentis,
Ad

Ad tumulum fleuit, Lazare Diue, tuum:
At tamen & iustis statuatur meta querelis,
Neue creatori mens sit iniqua suo.
Nam Deus est cuius tua coniunx VRSVLA iussis,
Deposuit fragilis debile carnis onus.
Qui veluti iungit sic rursum auellit amantes,
Nostra nec incertis legibus ire finit.
Hoc prius humanam suscepit dante figuram,
Cùm foret informis massula cruda luti.
Eius & æthereum sortita est munere flatum,
Posset vt hoc cœli cernere viua iubar.
Hoc quoque dante tui consors est facta cubilis,
Et lateri custos associata tuo.
Hoc duce transegit vitæ quod debuit æuum,
Floruit inque annis vt rosa verna suis.
Nunc quia terreno membrorum libera vinclo,
Soluitur in cineres, quæ fuit ante cinis.
Quis putet hoc cæcæ factum per somnia sortis,
Nec potius summo sic moderante Deo.
Ethnica turba quidem tenebris immersa profundis,
Nos veluti autumni poma perire docet.
Flaccida quæ subito proturbat ab arbore casu,
Grandinis irato vis agitata polo.
Non ita sed sacri docet aurea regula verbi,
Omnia quæ curæ sic monet esse Deo.
Vt neque præpetibus passer secet aera pennis,
Ni manus hunc summi subleuet ante Dei.
Maior in humanam tamen est affectio gentem,
Quæ stirpem ex ortu nobiliore trahit.
Namque homo diuinæ decoratus fulgure lucis,
Viua creatoris splendet imago sui.
Huic nitidi fecit flammantia sidera cœli,

Atque procellosi vasta Theatra maris.
Huic vario florum vernantes germine campos,
Et dedit omnigenas conditor orbis opes.
Iussit & angelicas huic inseruire cateruas,
Tendat vt illæso per latus omne pede.
Inde sui sumpsit niueos quoque corporis artus,
Vindice quo mundo est pax reparata λόγ☉.
Quid quòd & humano sibi dulce in corde sacellum,
Ille Dei flagrans pectore fixit amore
Nos ceu membra Deo qui sic adglutinat ipsi,
In patrio gestet nos vt vbique sinu.
Atque suis tectos defendat fortiter alis,
Ne petat inuito nos Stygis aula Deo.
Eius in arbitrijs hinc nostræ tempora vitæ,
Et gelidæ pendent fata suprema necis.
Cùm iubet ille hominem vestit vis ignea mentis.
Archetypumq; refert fabrica pulcra suum.
Cùm iubet ille idem terrenæ ergastula molis
Hæc fugit, & tumulo corpus inane iacet.
Vlla nec instantem remorantur pharmaca mortem,
Res vt ab exemplis est ea nota satis.
Ergo tui nutus mens accipe læta parentis,
Et sua cùm repetit, Dux pie, redde Deo.
Redde Deo, cuius non est iniusta voluntas,
Nec nimis in cœtus dextera sæua pios.
Scit benè cum vitæ melior vel funeris hora,
Mergere scit Stygio scit reuocare lacu,
Acliceet horrendi videantur signa furoris,
Quæ iacit in nostrum tela cruenta caput.
Cùm rapit aut sociæ dulcissima viscera costæ,
Aut alijs vrget crimina nostra malis.
Non tamen ærumnis insultat in æthere nostris:
Nec

Nec ſobolis gaudet perditione.
Sed velut in rutilos aurum demittitur ignes,
Illius vt ſurgat clarius inde nitor.
Sic ſchola Chriſtiadûm crux eſt bonus ille magiſter,
Qua gregis explorat ſpemq́ fidemq́ ſui.
Sicut & hybernis Sol terræ eſt proximus horis,
Cùm procul à noſtro vertice duxit equos.
Sic propior nunquam Deus eſt, quàm rebus in arctis,
Cùm ferre optatam nolle putatur opem.
Cumq́ per obiectas in nos ceu grandine nubes
Intonat, & rapidos ſpargit ab axe globos.
Is tibi ſi mœſtam venit grauis hoſpes in aulam,
Funereas mittens ſub tua tecta faces.
Nobilis inflictum contrà patientia vulnus
Sanet, & in luctu ſit medicina tuo;
Nam velut auſteros ponunt abſynthia ſuccos,
Imbiberint dulces ſi macerata fauos:
Sic crucis infeſtos lenit patientia morſus,
Quiſquis & obdurat ſub cruce victor ouat.
Hinc ita magnanimum ſcriptura prophetica Iobum
Atq́ alios effert laude per aſtra viros.
Pectus in aduerſis quibus inſuperabile damnis.
Atq́ adamantæi robora cordis erant.
Iobus vt amiſit teneros in turbine natos,
Et rapta hoſtili cætera cuncta manu.
Ipſeq́ rugoſis horrens in corpore ſquamis,
Vix humili poſſet membra leuare ſolo.
Non fremit indignanſque polo verba impia iactat,
Fecit vt æterni neſcia turba Dei.
Sed duplices lætus tendens ad ſidera palmas
Sic ait: ô tibi ſit gloria ſumme pater.

Hæc mih[illegible] [illegible]s, eadem tibi dedico rursum,
Stat benè: [illegible] meritis gratia digna tuis.
Tu quoq; sic frenum præsentibus injce curis,
Et sua cùm repetit, Dux pie, redde Deo.
Redde Deo, cuius semper laudanda voluntas,
Et viget in cœtu dextra paterna suo.
Quid iuuat & tenuem sic inclamare fauillam,
Astraq; flebilibus celsa ferire sonis?
Cùm semel ingressum fatalis limina cymbæ,
Non superis reddant irrita vota plagis.
Tot licet effundant mœrentia lumina guttas,
Quot tumido Nicer gurgite voluit aquas.
Non tamen immites relegent huic texta sorores,
Cui semel iniecit mors truculenta manus.
Sed premit hunc alta sopor implacabilis vrna,
Noxq; tenebrosa non abitura domo.
Ipsa nec immensi domitrix mors aspera mundi,
Christiadûm turmis sic metuenda venit.
Vt velut amissos sic deploremus amicos,
Lugeat & carnem sic caro mœsta suam.
Illa qu idem veteris propter contagia noxæ,
Est nimis offensi dira ministra Dei.
Atque venenato vastissima bellua rictu,
Quicquid in hoc fragili nascitur orbe, rapit.
Et bona præsentis simul eripit omnia secli,
Sint licet hæc nomen præter inane nihil.
Vnde voluptatum turpi gens obruta cœno,
Nil necis aduentu tristius esse putat.
Quòd sibi fallacis post somnia ludicra vitæ,
Conspicit infernos morte patere lacus.
In quibus æternæ cruciantur sulphure flammæ.

Quās

Q[illegible] iocus est pietas ludibriumq́ Deus,
At quibus in solo sua stat fiducia Christo,
In cruce qui scelerum grande piauit onus.
Surgit ab informi leges his lætissima busto,
Vrnaq́ spirantes fundit odora crocos.
Nec sic dulce fuit quondam prodire sub auras,
Dulce velut vita deficiente mori.
Ignea marcentes si flammula deserit artus,
Non tamen in fumos annihilata perit.
Migrat in ætheream sed libera protinus arcem,
Aligerûm sanctis associanda choris.
Exilium tellus fuerat: tunc patria cœlum,
Gaudia pro luctu suggerit ampla breui.
Non datur erectos ad sidera tollere vultus,
Atque coruscantis cernere solis equos.
At datur hîc verum claro sub lumine Solem,
Oraq́ præsentis cernere læta Dei.
Vita quid hæc fuerat series nisi densa laborum,
Lernaq́ terrificis vndique cincta malis?
Quid fuit hic mundus, tristis nisi torpor & error,
Haraq́ Tartarei sanguinolenta suis?
Ast ibi vera quies nullius conscia luctus,
Arua beatorum luce serena fouet.
Improba mors charis si nos subtraxit amicis,
Quīs fuit in casto pectore cana fides.
Prodit in occursus cœlestis curia nostros,
Et socias offert aula superna manus.
Hîc ouat ante Deum Vatum gens ampla sacrorum,
Fatidica Christum qui cecinere chely.
Hîc Patriarcharum venerabilis emicat ordo,
Turbaq́ Martyrij quæ diadema gerit.

Hi velut insani iactatos æquore ponti,
Excipiunt manes post sua fata pios.
Interea clausis illata cadauera tumbis.
Spe recubant vitæ squallida facta nouæ.
Dumq; iacent illîc auidis data vermibus esca,
Sic veteris ponunt liuida signa luis.
Et simul infirmam perdunt resoluta figuram.
Vt capiant verum glorificata decus.
Cùm tuba terribiles olim dabit horrida cantus,
Et veniet iudex filius ipse Dei.
Tunc excita suis surgent rediuiua cauernis,
Instar & auricomi fulgida Solis erunt,
Tunc citius vento liquidas volitare per auras,
Et poterunt ictu rumpere saxa leui.
Sic prius in putres sparguntur semina glebas,
Clausaq; brumali frigore grana rigent.
Quàm Cererem plenis ostentent florida spicis,
Et varias donent prodiga farris opes.
O igitur felix vni gens dedita Christo,
Sub misero tantum funere fœnus habens.
O nimium felix Christi moriturus in vlnas
Qui ruit, & Stygias hoc duce trãnat aquas.
Dum moritur, viuit: dum vincitur, ecce triumphat,
Dum rapitur terris cœlica regna subit.
Huc quoq; fecit iter tua dilectissima coniunx,
Vltima cui princeps inclyte iusta paras.
Nam quibus ad cœli viridaria nitimur alis,
Atq; per horrentis labimur antra necis.
His fuit in primæ cursu succincta iuuentæ,
Quando salutari flumine tincta fuit.
Induit hîc ipsum fidei per brachia Christum,

Flectitur

. lectitur iratus quo medi.....
Hunc fuit à primis venerata fideliter annis,
Inq; suo coluit relligiosa thoro.
Obtulit huic suaues pulcris concentibus hymnos,
Carminibus certans ô Philomela tuis.
Vtq; Deo posset conformem ducere vitam,
Esse suum voluit Biblia sancta scopum.
Aurea versabat magni quoq; scripta LVTHERI.
Quæ Sophiæ nectar mellifluentis habent.
Inde Redemptorem studuit cognoscere Christum,
Cui fuit vt sponso sponsa dicata suo.
Cumq; necis certæ nil esse incertius hora,
Corporis & nosset membra caduca sui.
Inde salutiferos legit quoq; sedula flores,
Anxia qui mortis corda timore leuant.
Vtq; suis miles vigilat generosus in armis,
Vulnera ne subitò victus ab hoste ferat.
Sic necis in cautam ne lurida sterneret hasta,
Hæsit in excubijs nocte dieq; pijs.
Ast ita pacato sua clausit tempora vultu,
Esset vt imperio cedere prona Dei.
Morsq; sopor fieret, melioris & ostia vitæ,
Panderet, abrumpens triste laboris onus.
Cur igitur tantos coniunx mouet Vrsula fletus?
Hinc abijt coniunx Vrsula, non obijt.
Quæ fuit in cœlis vt adhuc fuit hospita terris,
Anne Dei posit functa carere sinu?
Vrsula morte sua iactat de morte triumphos,
Et Stygij ridet texta dolosa lupi.
Ac licet à patrijs moriens procul abfuit oris,
Estq; peregrina facta cadauer humo:

Non tamen . . . . Christi procul abfuit alis,
Numine qui præsens cuncta potente regit.
Hoc duce sideream facilis via ducit in arcem,
Quo nos cunque petant fata suprema loco.
Exul & is voluit seruilem sumere formam,
Huius vt exilij sanctificaret onus.
Quippe viatores sumus hic, patriaqꝫ caremus,
Dum referet cœli mors properata fores.
Occidit in viridis tua gemmula flore iuuentæ,
Non tamen ante suum concidit ipsa diem.
Nam virtute suis maturior extitit annis,
Quæ iuuenes quamuis efficit esse senes.
Si citò decessit prima ceu germen in herba,
Est citò de cunctis libera facta malis.
Non teneros natos castæ pia pignora flammæ,
Ast animi dotes liquit in orbe sui.
Quæ decorant fuluo iam busta micantius auro,
Postqꝫ suos faciunt hanc superesse rogos.
Chara tibi fuerat, dubiæ spes vnica vitæ,
At fuit æterno charior ipsa Deo.
Vnigenæ lotam roseo qui sanguine nati,
Æthereæ succis imbuit ambrosiæ.
Et super astrorum rutilos hanc collocat ignes,
Est vbi saluati tota corona gregis.
Hic atauos proauosqꝫ suos, dulcemqꝫ parentem,
Et generis cernit lumina clara tui.
Christophorumqꝫ videt Christi vt gestetur in vlnis,
Pectore qui Christum gesserat antè suo,
Nollet & has iterum, si posset, visere terras,
Vt fragili fixas ferret in orbe moras.
Possetqꝫ non emeret tot, quot sunt sidera, Gazis,
Subdita

Subdita iam pedibus quæ videt eſſe ſuis.
Vince tuos igitur luctus, qui cætera vincis,
Et ſua cùm repetit, Dux pie, redde Deo.
Non amiſſa tibi modò, ſed præmiſſa quieſcit,
Grata Redemptori ceu fuit antè ſuo.
Moxq́ dies aderit qua magni ad claſsica Chriſti,
Rurſus in amplexus ibit amata tuos.
Tunc ſtabili rurſum iungent vos Numina vinclo,
Regnaq́ terrenis proſperiora dabunt.
Hæc tibi ſpes animos reddat, curasq́ repellens
Vertat in hyblæos hæc tua fella fauos.
Neſcia ſpes luctus, ſpes neſcia ſancta doloris,
Spes media vitam ducere morte facit.
Hîc ego vela mei dux inclyte contraho verſus,
Atque ſuum condit Nænia pulla μέλος.
Plura quidem poterant humiles afferre Camœnæ,
Lingua ſed hîc iuſto victa pudore ſtupet.
Et mihi per ſiccos quoque gutta erumpit ocellos,
Cùm lacrymas cerno, Dux generoſe, tuas.
Det Deus hæc melior tandem vt poſt nubila Phœbus
VVIRTENBERGIACIS exoriatur agris.
Is quoque ſoletur vidui duriſsima lecti
Tœdia, dans flatus gaudia viua ſui.
Viue diu noſtris patriæ pater optime terris,
Regnet vt auſpicijs pax pietasq́ tuis.
Viue diu, celſos tua coniunx Vrſula cœlos
Incolit, & curas deſpicit inde tuas.
Patria flet, ſed olympus ouat: cinis incubat vrnæ,
Viuit at æternum ſpiritus ante Deum.

EPITA-

EPITHAPHIVM

EIDEM ILLVSTRISSIMÆ DOMINÆ *ac Ducissæ O. M. Tubingæ in Choro sepultæ.*

Ab eodem Authore scriptum.

HIc ego Dorotheę lux Badanæ Vrsula stirpis,
Ante tuos recubo, maxime Christe, pedes.
Edita principibus, magni quoq; principis vxor,
VVIRTENBERGIACI qui regit arua soli.
Non mihi diuitias non formam fata negârant,
Sed dederant æuo tempora parua meo.
Quinq; mihi viridis currebant lustra iuuentæ,
Quæ vario morbi fracta labore fuit.
Ad sacra cùm thalami dulcem comitata maritum,
In gremio sternor Noricaberga tuo.
Hîc posuit mœrens exanguia viscera coniunx,
Laude suos æquans DVX LVDOVICVS auos.
At mens viuifico CHRISTI conspersa cruore,
Iuncta DEO cœli lucida templa colit.
Vltima dum veniant effœto secula mundo,
Quo socius repetet membra sepulta calor.
Tunc ego ceu rutili fulgebo sidus olympi,
Et fidei carpam præmia longa meæ.
Qui legis hæc, nostræ cùm sit sors lubrica vitæ,
DISCE MORI, SVMMVM DISCE TIMERE DEVM.

DISTICHON CVIVS HEXAMETER ANNVM *literis numeralibus inclusum, Elegiacus verò diem obitus exhibet.*

VrsVLa Dorotheę terrestrIbVs eXIMor arVIs,
Prima nitet festi cùm Paraclete tui.

IN

IN EIVSDEM ILLVSTRISS: DOMINAE DOROTHEAE VRSVLAE OBItum, Iosephi Liebleri Tubingensis ELEGIA,

AD ORNATISSIMVM, OMNIBVS VIRTVTIBVS PRÆDITVM, AC VERE NOBIlem Virum, Dominum Melchiorem Iægerum á Gartringen in Eningen Illustrissimi Principis ac Domini, D. Ludouici, Ducis VVirtembergici & Teccij, Comitis Montis beligardi, Secretariu n fidelissimum.

Hic tibi magne damus Melior descripta lugubri,
Tristia proh nostræ carmine fata Ducis.
Primus vt ipse legas, & pòst, si digna videntur,
Clementi exhibeas pectore, quæso, Duci.
Namq; hoc Dorotheæ persolui carmine munus,
Demisiq; Vmbris exequiale pijs.
Quæ vos debetis gratam testantia mentem,
Atq; voluntatis signa putare meæ.

Iosephus Lieblerus
Vobis deditissimus,



Plangite Pierides, ereptum plangite munus,
Et mecum vestræ funera flete ducis,
Plangite quæ colitis semper VVirtbergica rura
Neccarides Nymphæ, monticolæq; Deæ.
Plangite & huic vestræ Dominæ persoluite munus,
Et tumulo flores, & date serta nouo.
Non illa melior fuit, aut reuerentior æqui,
Secula quot retro multa tulère diu.
Nec vestros æquè quisquam cumulauit honores
Dum studuit vates semper amare pios,

Cernite proh tristi ploretur vt vndique Cælo!
Mersaq; demisso terra sub imbre natet.
Nec frustra talem mittunt de pectore luctum,
Nec frustra lachrymis ora genasq; rigant.
Nam cecidit coniunx Ludouici Principis alti
Vrsula: quæ varijs dotibus aucta fuit.
VRSula Marchiacæ lux, proh, pulcherrima gentis,
VVirtembergiaci spes columenq; soli.
VRsula Badanæ decus ingens, gloria stirpis,
Solamen vitæ, Dux Ludouice, tuæ.
Recta huic frons, niueaq; manus, & lactea ceruix:
Purpureum roseo stabat in ore decus.
Vt si nix minio Germanica certet Ibero:
Aut cum quis niueum sanguine tingat ebur.
Quæ nullos cultus, veræ & pietatis honores,
Vllo perpessa est prætereijsse loco.
Quæ nunquam rebus surgebat mane gerendis,
Aut contrà somno corpora fessa dabat:
Vt non diuinis operosa ante omnia rebus,
Libaret Domino vota precesq; Deo.
Atque eadem supplex demissa voce rogaret,
Vt sceptrum regeret, Dux Ludouice, tuum.
Rusticitas aberat, morumq; incondita virtus,
Non aderat fastus, non tumor ingenij.
Sed solum vt posset proprio seruire marito,
Neruos intendens, vnica cura fuit.
Nulla magis studio magis aut grauitate valebat,
Sumebat pectus sæpius illa viri.
Talis erat, credo, doctis celebrata Theano,
Talis Gracchorum sedula mater erat.
Vix melior toto (liceat mihi dicere verum)

AEno,

Æuo, quo mundus constitit, vlla fuit.
Scit patria, & ciues, & cætera subdita turba,
VVirtemberga mihi candida testis erit.
Nec deerant Proaui, nec opes, nec sanguis auitus,
Nec Patria antiquo nobilitata solo.
Namque quis ignorat Badana nomina Stirpis,
Quo floret mater prædita, quóque pater.
Quis nescit celebres materni sanguinis ortus,
O VRSLA, & generis nomen vtrumque tui.
Cum tibi sit Proauus, Proauo de Principe natus
Marchio: sit Princeps & Proaui huius auus.
Et tua se scindat Roberto à Cæsare quinto
Linea, si matris stemma sequare, gradu.
Tali igitur patria, tali quoque stirpe creata,
Quæq; decet castas prædita dote Duces.
Debueras aliqua superos vel parte mouere,
Debuerat virtus tangere fata tua.
Sed neque fata mouent hominum benefacta, nec vlla
Flectuntur nostra pectora dura prece.
Illaq; sors placidis semper manet addita rebus,
Quæ prima intereunt optima quæque die.
Sic rosa, sic violæ prima moriuntur in herba,
Candida nec toto lilia mense nitent.
At contrà tribuli, & malè noxia gramina spinæ,
Nec metuunt ventos, nec niue tacta cadunt.
Ergo eadem nostris sors inuida te quoque rebus
Abstulit, & subito funere mersa iaces.
Nec licuit cursus aui spectare tuorum?
Nec sibi quod vitæ quisque parasset iter.
Quanquam, si qua manent iustorum præmia manes
Et posita est meritis gratia certa suis:

Te quoque speramus mistam, aeucibus vmbris,
Nec lachrymis nostris iam, nec egere prece.
Sed liquidas inter mentes, super aethera vectam,
Perpetua rerum prosperitate frui:
Et castas inter diuinae Heroidas aulae,
Carpere cum sanctis gaudia laeta Choris.
Viue, vale, & placida requiescas molliter vrna:
Terra grauis cineres nec premat vlla tuos.
At tu protector Princeps LVDOVICE fidelis,
Cuius perpetuo nomen honorq́ viget:
Pectore sollicitas tandem depone querelas,
Atque animum curis tristiciaq́ leua:
Quaeque pater voluit celsi regnator Olympi,
Perfer, & hos gemitus ad meliora refer.
Non haec inuisos spectabit pallida manes,
Aut veniet Stygio quà calet igne lacus:
Nec metuet tedae flammas, crepitumq́ flagelli,
Horrida cui strident anguibus ora, deae:
Hic vbi terribiles exercent tartara poenas,
Et grauis immiti praesidet vrna foco:
Saeuus & horrifico latratu territat vmbras
Cerberus, & maestas excubat anti fores.
Ne tu Caucaseas inter nutritus es arces,
Aut tibi tam genitrix barbara terra fuit:
Talia vt ignores, aut praemia nulla parata
Per Caelum, credas mentibus esse pijs.
Quae quò sunt hominum donis meliora caducis,
Et secum meritis gaudia plura ferunt:
Hoc animo debes minus omnia ferre molesto,
Quae Domino cernis facta placere DEO:
Sed cuius summa est adeò, atque aeterna potestas,

Imperium

Imperium cuius terra, fretumq; timet.
Huic etiam ipse tuas debes submittere curas,
Huius & ad nutum vota referre tua:
Vt seu læta tibi, seu tristia tempora currant,
Arbitrio Domini stesq; cadasq; DEI.
Nestoreos, PRINCEPS, viuas feliciter annos,
Assiduo flagrans cognitione DEI.

DISTICHON NVMERALE,
annum mortis complectens:

VrsVLa CVM ChrIsto CæLestes pergIt In aVras
InspICIens Vestros heI NorIberga Lares.





ALIVD EPICEDION, PAVLI VVENIGERI CYGNOCOMOEI.


Eu mihi quàm nulla est hominũ constantia vitæ?
Quàm nihil in stabili sede locoq; manet?
Non ita festinis Euripus vertitur vndis:
Per iuga nec campi tam notus ipse ruit:
Quàm citò mutantur vario mortalia casu:
Quàm citò vita hominum, ceu leuis vmbra, fugit.
Nam modò robustos habuit qui corporis artus:
Languida mox pallens redditus ossa trahit.
Qui modò cum socijs carpebat gaudia lætis,
Fit subitò diræ certa rapina neci.
Sic tu DOROTHEE, post iura iugalia gloris
Tecciacam repetens cum Duce nuper humum,
In tenero subitò languorem corpore sentis:
Qui quoque te summum fecit obire diem.
Ergo taces, mortis rapidis confixa sagittis,
VRSVLA, Badanæ gloria magna domus.
Nec tua te pietas, virtus & plurima, texit
Indomitæ contra tela cruenta necis.
Nam fuit à teneris tibi cura agnoscere CHRISTVM:
Ætherum & pura mente timere Patrem.
Tu coluisti homines verbum cœleste docentes:
Legistiq; sacros sæpe diuq; libros:
Posset vt augustæ vix te pietatis amore
Tharaidæ coniux vincere Sara pij.
Scilicet ipsa DEI conducere vbique timorem,
Et noras homines ducere ad astra poli.

Candida

Candida nec tantum profugum dilexit Vlyssem
Penelope, aut Brutum Portia fida suum:
Vel Pagasæa suum coniux celebrata maritum,
Cuius sponte loco mortem obijsse ferunt:
Phylacidem aut fortem pulcherrima Laodamia,
Noluit extincto quæ superesse viro:
Aut sua Mausolum Regem memorabilis vxor,
Nobile cui rapto busta parauit opus:
Denique non tanto Isaacũ formosa Rebecca,
Iessidem aut Michol arsit amore pium:
Illustrem quanto LVDOVICVM amplexa fouebas,
Cui fueras sacri fœdere iuncta thori.
Viuere sic dulci dicas in amore columbas:
Perpetuò vt vobis mutuus ardor erat.
Haud vnquã generis tumuisti, aut nomine famæ:
Excelso fueris quamlibet orta loco,
Non placuit fastus tibi, nec lasciuia linguæ:
Sed placuit candor simplicitasq́ magis.
Vox tibi mitis erat, frons comis, lumina blanda:
Dextraq́ pauperibus semper aperta tua.
Singula quid referam? concessæ tempora vitæ
Ornasti placidis moribus ipsa tuis.
Tota igitur meritò nunc VVirttembergica tellus,
Cuius spes fueras perfugiumq́, gemit.
Luget Nobilium series quoque mœsta virorum:
Et cum Pierio culta TVBINGA Choro.
Luget & ipse, pater patriæ fidissimus oræ,
Coniux, humana vix recreandus ope.
O te crudelem mortem, quæ tollere tantum
Ante suum terris es decus ausa diem:

Et

... nobis lachrymas, luctumq́ creasti:
Sistere quem poterit non nisi longa dies.
Sunt homines, CHRISTI qui numē lædere tentant
Inq́ suum dicunt impia verba DEVM:
Qui gladio perimunt sincerum dogma professos:
Quiq́ pijs fraudes insidiasq́ struunt:
Quos alijs stolida conuitia dicere lingua,
Criminibusq́ bonos insimulare, iuuat:
Qui magico segetes corrumpunt murmure lætas:
Et quos innumeros hora referre vetat.
Hos te lethifera, mors, sternere falce decebat:
Trudereq́ ad stygios, per fera fata, lacus.
Sed temerè, non vllo habito discrimine, raptas
Cum senibus iuuenes, cum reprobisq́ probos.
Non te animi pietas, non casti pectoris artes,
Nec mouet infando crimine vita carens.
Sic hanc DOROTHEEN immiti funere tollis:
Quæ decus ingenui grande pudoris erat.
Quis tibi pro facto non dira precetur iniquo?
Mille tuam falcem deuoueatq́ modis?
Sed quid DOROTHEEN adeò deflemus ademptam?
Implemus querulis æthera quidque sonis?
Mortalis fuerat, mortali sanguine nata:
Ergo subire necis debuit ipsa viam.
Quotquot enim ducunt ortum de semine Adami:
Coguntur rigidæ mortis adire iugum.
Hic nihil aerijs firma cum turribus arces,
Nil Lybici lapides diuitiæq́, valent.
Mortuus est, totum qui penè subegerat orbem,
Magnus Alexander, fama decusq́ patris.

Occubuit

Occubuit Cæsar, validis inuictus ab armis,
Ille potens primus Romæ Monarcha tuus.
Occidit AEacides, Phrygios qui terruit hostes:
Hector & Iliaci murus & arma soli.
Nec fuerat lethi pharetrata Semiramis expers:
Quæq; ensem tinxit sanguine Cyre tuo.
Deseruit terras Lucretia imago pudoris:
Inq; nigros abijt Biblia casta rogos.
Nos quoque, vitales qui nunc adducimus auras,
Parua suo exanimes tempore condet humus.
Hi verò demum ex omni sunt parte beati:
Est quibus admissi culpa remissa mali:
Ex animo fœda qui agnoscunt crimina vitæ:
Seq; dolent tota mente fuisse malos.
In facili quorum posita est fiducia CHRISTO:
In cruce qui Mundi sustulit omne nephas
Hos, licet aeriam cogantur ponere vitam,
Lædere non quicquam mors truculenta potest:
Labe sed abluti, trita per limina mortis,
Astrigeri scandunt culmina ad alta poli.
Quare, DOROTHEE quia Marchia pectore toto
Saluificum didicit nosse & amare DEVM:
In gremium CHRISTI nunc est sublime recepta:
Et cum Cœlicolis gaudia mille capit:
Qualia non vllus vitreis aspexit ocellis:
Nec patula quisquam condidit aure fer..
Quæ neque commaculant curæ, miseriq; dolores,
Et finem nullo sunt habitura die.
Illius at virtus omni celebrabitur æuo,
Et pudor, & veræ relligionis amor.
Spumea nam citius fragrantes æquora flores,
Squamigerumq; genus sidera celsa, ferent:

Et citius tellus rapidum vertetur in orbem:
Quàm pietas eius poßit in orbe mori.
Nos igitur tristes siccemus pollice fletus,
Fletibus ad superos nemo redire potest.
Optemus potius, spargentes lilia busto:
Vt pia defunctæ molliter ossa cubent.
Sed tu CHRISTE Ducem nostrum solare dolentem.
Coniugis ob chara funera mœsta suæ.
Erige cœlesti turbatam Flamine mentem:
Ne qua nocere ipsi cura dolorq́; queant:
Huncq́; diu serua felici sidere saluum:
Gratia quo verbi floreat alma tui.
Hoc etenim viuo, nobis sincera vigebit
Relligio, pietas, iustitiaq́; decor.

ALIVD ΠΑΡΑΜΥΘΙΚΟΝ, A M. VALENTINO CLESSIO KNITtlingensi scriptum.



Vid crucias animũ mœstis, LVDOVICE, querelis:
Nec cessas lacrymis ora rigare pijs:
Quòd tua Naturæ persoluit debita Coniux:
Dum procul à patria cogeris esse domo?
Accidit (vt nosti) similis quoque casus Abramo:
Nec mage eum iuuit sors sua sorte tua.
Abfuit: en Saram mors improuisa necauit:
Exemplum veræ quæ pietatis erat.
Hanc pietas mortem Patriarcham flere iubebat:
Mœstaq́; flebilibus fundere verba modis.
Sed posuit lacrymas. Quid enim tabescere luctu
Prodest? Non redeunt corpora humata semel.

Sic

Sic LVDOVICE, tuæ mentis depone dolo.
Magnus (credatur) nil iuuat iste dolor.
VRSVLA namque Deo Coniux tua cara sciente,
Extremum clausit cum pietate diem.
Nil valet hîc gemitus, non euitabile fatum.
Sic fieri voluit, qui regit astra, Deus.
Nec periisse putes: sed curis morte soluta
Viuit, & æternæ gaudia lucis habet.
Deposuit fragiles infirmi corporis artus:
Spiritus in Cœlis gaudia vera capit.
Digna quidem meritis, quæ tempore viueret omni:
In terris omnes sed rapit æqua dies.
Ista tuam releuent tristem solatia mentem,
Inclyte Teccai Dux LVDOVICE soli.

ALIVD, IOANNIS MVTII MONTISPELIGARDENSIS.


Ata manent omnes, totũ furibunda per orbem
Mors ruit, & cæcis sæua triumphat equis:
Non procerum turres, non atria fulgida curat:
Stramineæq; subit limen agreste domus.
Non robur, nec opes curat: nihil aurea virtus,
In diræ mortis spicula iuris habet.
Mors eadem mansit Lydum, quæ manserat Irum:
Namq; cadunt simili Dux populusq; nece:
Vtq; ferus, stimulante fame, lupus omnia lustrat:
Dentibus ac pauidam da grege tollit ouem:
Nec curat niuei sit an atri velleris agna:
Dum modò squallenti pellat ab ore famem:

Sic mo[illegible] ſæuit properata per orbem:
In quoſuisq́ graues inijcit atra manus.
Illa preces inopum ſpernit votumq́ potentum:
Lege pari cunctos ſub caua buſta vocat.
Hæc eadem iaculis eſt nuper adorſa ſiniſtris
VVirtenbergiacam, mors violenta, domum.
Ergo Neccarides Muſæ lacrymabile carmen
Pangite: non ſiccas nunc decet eſſe genas.
Namq́ Duciſſa iacet: vita, dum fata ſinebant,
Illuſtris, vera ſimplicitate, fide.
VRSVLA, Badana celebri de ſtirpe creata:
Tecciaco quondam conſociata Duci.
Principe (proh dolor) atroci nunc funere rapta,
Omnes non taciti ſigna doloris agunt.
Ipſe pater patriæ, pietatis idoneus autor,
Qui curat veræ relligionis opus,
Non ceſſat mœſtis animum laſſare querelis:
Ac triſtes largo rore rigare genas.
Principis aula gemit: fundit Studgardia queſtus,
Et luctus ſumit victa dolore notas.
VVirtenbergiaci Proceres, cum plebe Senatus,
Tecciaci clarus ſplendor honosq́ ſoli:
Durlachium, Badouilla ferax, cum rure coloni,
Cum ſenibus iuuenes, fletibus ora rigant.
Nam, quæ non ficta pietate iuuabat egenos:
Curabatq́ Dei, more decente, gregem:

Clara

Clara Duciſſa iacet, carnis compage,
Quam gremio excepit terra benigna ſuo.
Quæ quia cæleſtem ſemper ſpirauit ad arcem:
Corde notans fido verba ſacrata Dei:
Auxiliumq́ tuum, I E SV, moribunda petiuit:
Ac animam fidei tradidit ipſa tuæ:
En tecum fragili iam libera carcere viuit:
Cum ſanctisq́ capit gaudia mille tuis:
Dux igitur LVDOVI: nouos compeſce dolores:
Et lacrymis tandem ponere diſce modum.
Luctifero celebris Studgardia parce dolori:
VVirtenbergiacæ Tecciacæq́ nurus.
Terrenum fuerat corpus, terramq́ petiuit:
Mens, quia de cælo venerat, aſtra colit.
Ergo Neccarides carmen lacrymabile Muſæ
Siſtite. Nam Princeps viuit in arce Dei.



CARMEN CONSOLATORIVM,

AD VVIRTENBERGICOS INDIGENAS, IN EIUSDEM ILLVSTRISSIMÆ PRINCIPIS OBITVM:

SCRIPTVM

A M. SIMONE STVDIONE, Martbachensium Ludimagistro.

AD CLARISSIMVM VIRVM. MELCHIOrem Iagerum: prudentissimum Illustrissimi Principis, ac Domini D. Ludouici Ducis Vuirtenb: &c. Secretarium.

Sponsæ Dorotheæ modulatus fœdera, carmen
Nunc super eiusdem funere, triste cano.
Vt prius in lætis rebus me sponte iuuabas,
Commendans nostro tradita scripta Duci.
Sic nunc hos elegos in rebus tristibus offer,
Vt quoque conspectos, clare vir, ipse legat.
Ex luctu scripsi, non propter præmia, mentem
Testificans gratam versibus. Vsque vale.

T.

addictiss:

M. Simon Studion.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO D. LVDOVICO DVCI VVIRTENBERGICO, AC TECcio: Comiti Montispeligardi, &c. Domino suo clementissimo.

S. P. D.

IMmensa bonitate suos inuisit, & aufert
E mundo, ut secum sint sine fine, Deus.
Ergo tuae raptae, PRINCEPS, gratare maritae,
Quae moriens demptis cessit ad astra malis.
Angelicasq; videt mentes, animasq; suorum
Maiorum saluas, sanctaq; sceptra Dei.
Qui tibi det longam vitam, placidamq; salutem,
Ac minuat luctum, terq; quaterq; precor.
Viue diu, belleq; vale: moderare dolorem,
Ceu facis: exiccat plurimus ossa dolor.
Gaude: quem pateris, praedicit gaudia maeror:
Sol solet irradians nubila pulsa sequi.

T. C.

subiectiss.

M. Simon Studion.

CAR.

CARMEN CONSO-
LATORIUM,

AD VVIRTENBER-
GICOS INDIGENAS, IN OBITUM
ILLUSTRISSIMAE PRINCIPIS, AC DOMINAE,
D. Dorotheae Vrsulae, Marchionissae Badensis, &c. coniugis dilectissimae Illustrissimi Principis, ac Domini D. Ludouici, Ducis VVirtenbergici & Teccij Comitis Montispeligardi, &c.

SCRIPTUM.



INcola, Tecciacis quicunque moraris in oris,
Luge: Nam causas mille doloris habes.
Marchica Dorothee, nostri Ducis inclyta coniunx,
Mortua sub sacra tecta putrescit humo.
Plange, dole, moere, tristare, gemisce, choreas
Siste, riga moestas imbre cadente genas.
Desine festiuo reboantia tympana bombo
Inter grandisonas increpitare tubas.
Musica solennem suspendant organa cantum:
Conticeat festae tibia iuncta chely.
Verùm sic dignè moere, desleq; sepultam,
Ne tuus offendat numina trina dolor.
Plus satis, atque nimis raptorum funere plangit,
Ethnica saluantis nescia turba Dei.
Ast decet ablutos effuso sanguine Christi,
Quolibet in luctu semper habere modum.
Mortem Dorotheae fatalem mente feramus,
Aequa, Christicolis congruit istud opus.

Quas

Quas Deus inſtituit, non eſt obſiſtere rebus,
Auſpice, Mors regnat iuſſa per omne, Deo.
Nec ſine permiſſu diuo de vertice crinis,
Nec leuis in noſtram decidit ales humum.
Compedibus nullis nullisq; tenenda capiſtris,
Mors ſimul humanum ſternit vbiq; genus.
Viuacem, quicunq; fluit per membra, vigorem
Tollit, & exæquat ſordibus omne decus.
Nil ſinit illæſum: cogit liueſcere vultum
Aſsimilem lacti, ſanguineisq; roſis,
Sydereis oculis tenebras offundit, & aures
Surdentes reddit, turpificatq; comas.
Oraq; Neſtoreis ſpoliat facunda loquelis:
Ac roſeas priuat ſæua rubore genas.
Membraq; ceu durum defuncta rigeſcere ſaxum
Cogit, quæ talis pallor vbiq; ſubit.
Qualem dant curuis matura cydonia ramis,
Aut de mellitis eruta cera fauis.
Non ars vlla mouet, non vlla potentia mortem:
Nec certa Regum fœdera iuncta manu.
Aequo ſtramineas inopum pede crebra tabernas
Pulſat, & auguſtis atria clara tholis.
Diſcrimen generis nullum nullumq; locorum
Prorſus habet: cunctos ſub ſua iura vocat.
Faſtum Pontificum, qui ſe ſuper æthera tentant
Tollere, tartareas ſternit ad vſq; domos,
Vnica Cæſareos animos furialibus armis
Frenat, & euictis his ſua ſceptra rapit.
Magnates, humilesq; necat: pugnacibus omnes
Comparat imbelles, ruricolisq; duces.

..s confert vitijs, hominumq; piorum
Non curat mores, ingenijq; decus.
Languori vires æquat, seniumq; iuuentæ
Cordatos fatuis, ingenuosq; malis.
Quod gerit in mundo, non est superabile bellum,
Hanc contra vel nil infera porta valet
Infremit in terras omnes: procul imperat Afris,
Europæq; locis, Asiacisq; plagis.
Fata manent omnes, omnes manet vltima mortis
Hora: per hanc semper fossa sepulchra patent.
Tendimus huc omnes: ast hic homo serius: alter
Temporius: mortem nemo cauere potest.
Quamuis quis sese ferratam claudat in vrnam,
Infragili firmans corpus vbiq; sera.
Si quis ad arctoas fugiens euaserit oras,
Aut ad frigentis nubila regna Noti.
Aut si purpureum Solis procurrat ad ortum,
Aut Zephyri latas ingrediatur aquas.
Attamen inueniet mortem, quæ plurima regnat
Illîc, & cæcis crebra triumphat equis.
Quò magis hanc procul esse putas, mortalibus instat
Hòc propius: Quin in carne sepulta iacet.
Vt moriamur, in hunc nascentes ædimur orbem,
Et sua quemq; simul meta suprema manet.
A primo pendet mortalibus exitus ortu,
Est Nasci nostrum nil, nisi velle Mori.
Quid sumus? ah nisi bulla natans, & in aere fumus:
Quid nisi quàm volitans puluis, & vmbra sumus?
Ceu rosa manè virens gratum diffundit odorem,
Quæ super Elysio plurima vernat agro.

Ac

Ac tandem marcet, cùm iam rutilantia cœli
Hesperus in sero sydera ducit equo.
Sic hodie viui, membrisq; valenter habentes,
Cras fœdis subitò vermibus esca damur.
Quin pereunt altis munitæ turribus arces:
Pulchraq; marmoreis atria picta tholis.
Aetas Cæsareas omninò destruit aulas,
Ac sternit tandem templa vetusta Dei.
Dudum Troia iacet Græcis odiosa puellis:
Amisit priscum diruta Roma decus.
Perdidit antiquam Calbam longæua vetustas,
Quà rigat assiduis prata Nagoltus aquis.
Vicinoq; sitam cliuo prope subruit arcem,
Quæ tot conspicuos ædidit alma viros.
Inde suum traxit a nascens Leo tertius ortum,
Qui Papa Romana summus in vrbe fuit.
Nec non Teutonicis, electa prole Pipini,
Finibus imperij sceptra gerenda dedit.
Inde sua duxit b Victor primordia vitæ,
Qui tenuit Romæ pontificale pedum.
Romæ Pontificem c genetrix enixa Leonem,
Calbiadûm comitum sanguine nata fuit.
Inde Gibellinos veteres, qui sceptra tenebant
Imperij, natos fama vetusta refert.
Crede mihi, non Christigenis, quos atria cœli
Expectant, audet mortis obesse furor.
Quin illis est grata quies, & ianua vitæ,
Per quam sublatis itur ad astra malis.
Hîc vbi transigitur nostro preciosius æuum,
Quod nullum finem prosperitatis habet.

Calba ad amnem Nagoltum sita.

a *Leo huius nominis III. Romanorum Pontifex, & (vt author Fasciculi temporum VVernerus VVestphalus, & Nauclerus, alijq; tradunt) Comes Calbensis imperium Romanum in Carolo Magno ad Germanos deriuauit.*

b *Gebhardus Harteuici Comitis Calbensis F. pontifex Romæ electus Victoris II. nomen meruit.*

c *Bruno Comes Egisheimensis ex Helica comitissa Calbensi natus, & pontifex Ro. designatus, Leo. 9. dici cœpit.*

Illic æternæ fundit noua munera lucis
    Sol rutilus vultu, Lunaq; pulchra genis.
Sunt aliæ ſtellæ, meliorq; fouetur in aſtris
    Virtus: eſt illic maior vbiq; decor.
Illic aurati paſcuntur nectare flores:
    Illic perpetui ſecula veris eunt.
Illic progenies habitans colit atria regni.
    Quod meruit Chriſti commiſerantis amor.
Quapropter nulli mors eſt metuenda piorum:
    Noxia re non eſt, eſt truculenta minis.
Dulcior eſt illo, meliorq; per omnia ſucco,
    Quem per rura vagans colligit agmen apum.
Gratior eſt ſomno, qui membra, grauesq; labores
    Sopit, & à curis pectora feſſa leuat.
Mors ita terribilis non eſt, vt mortis imago:
    Si credas leuis eſt in grauitate ſua.
Scilicet vt patiens horrenda pericula Ponti
    Aequoreas timidus nauita tranſit aquas.
Aſt vbi fixa vadis tutum tenet anchora portum:
    Mox ridet fluctus, magnaq; flabra Noti.
Sic iam conſiſtens in ſummo littore vitæ.
    Vim mortis ſpernit, gaudiaq; intus alit.
Nempe, quòd ingrati numeroſa pericula mundi
    Vicerit: eſt plenus mundus vbiq; malis.
Rara fides hominum; puræ venerabile ſordet
    Nomen amicitiæ: friget honeſtus amor.
Dum fortuna fauet, multi numerantur amici,
    Cum tonat, arreptæ dant ſua terga fugæ.
Sic humiles quærunt ſplendentia tecta columbæ:

Vix

Vix habet indigenam ſordida turris auem.
Sic vacous nunquam tendit formica peragros:
Sic ſterilem campum ſemper abhorret ouis.
Scilicet, vt longo bactu comitatur euntem
Vmbra per æthereas Sole volante plagas:
Sic ſequitur gratum fortunæ turba fauorem:
Qua remanente manet, qua fugiente fugit.
Fraus, nugæ & leues, & iniqua Calumnia vero,
Crebraq; per terras furta potenter eunt.
Sacra fames rerum, nullo ſatiabilis auro,
Vix nunc, quâ creſcens progrediatur, habet.
Alterius damno viuens hinc inde per orbem
Mira fraude ſuas inſtitor auget opes.
Non etiam falſo metuunt in crimine teſtes
Mendaci verum voce citare Deum.
Sordida cum turpi ſcortatur adultera mœcho,
Et vetiti quoduis audet amoris opus.
Ebrietasq; ſuo ſeruit reuerenter Iaccho,
Tot fallens homines, penè quot orbis habet.
Faſcinat humanas vitioſa ſuperbia mentes:
ô latè ſerpens in genus omne lues.
Phœbus ad occaſum roſeo progreſſus ab ortu,
Purpurei cœli clauſerit antè diem:
Quàm numerem verſu vaſti vitia omnia mundi:
Omnis ſub vitijs obruta terra iacet.
Totq; premunt hominem morbi, quot vere nitentes
Flores in viridi progenerantur agro.
Qui viuit, moritur, moriturus viuere cœpit:
Mors aufert morbos, & genus omne mali.

Quid quæso prodest homini quocꝙ longior ætas,
Quam sequitur tardo ponè senecta gradu?
Quæ grauibus crebrisꝙ malis, vel mortis ad horam
Exundat, medica non releuanda manu.
Membra tremit, graditurꝙ graui subnixa bacillo
Huc illuc titubans: pronaꝙ transit humum.
Ipsaꝙ se turpem longo cum tempore reddit:
More niuis canis albet vbiꝙ comis.
Talem fert macrum, qualem quoꝙ simia, vultum:
Vix positos mandit dentibus orba cibos.
Laxa cutis pendet: creber de naribus humor
Destillat: rugæ debile corpus arant.
Effœto languet frigens in corpore sanguis:
Haud vllus vernat membra peragra vigor.
Mœret iners: fluido caligat lumine: rerum
Anxia venturam pertimet vsꝙ famem.
Nunc pectus, nunc triste caput, nunc ilia languent,
Aegrescunt humeri, brachia, crura, pedes.
Coxa dolet: digitiꝙ tremunt: vox faucibus hæret:
Est miserum, toto corpore quicquid inest.
Est lætis odiosa viris, hilariꝙ iuuentæ:
Solaꝙ deseritur, solaꝙ sponte sedet.
Sola sedet, miserisꝙ suis intenta querelis
Expectat summum iam moritura diem.
Hinc vitam rectè prisci dixere Poetæ
Confertam curis, sollicitamꝙ malis: *Vitæ humanæ miseria.*
Aegram, mortalem, miseram citiusꝙ fluentem,
Quàm Rhodanus rapidis præcipitetur aquis.
Est hæc vita nihil sanè, nisi somnia noctis:
Vmbra fugax: punctus temporis: vna dies.

Ignorat

Ignorat ſeſe pars prima volat[illegible] ſui:
    Nec bona fortunæ co[illegible]it ante pedes.
Ergo, quæ melior [illegible] fuit, inſcia ſortis
    Ipſa ſuæ, miſera eſt in bonitate ſua.
Excipiunt mediam curæ varijq́ labores:
    Hîc ſtata nulla manent ocia: nulla quies.
Poſtremam vexant morbi: Sic deniq́ partem
    Fœlicem nullam vita ſuperſtes habet.
Hinc quoq́ Sileno viſum fuit vtile naſci
    Nunquam: vel genitum morte repente rapi.
Luctibus excepit quondam miſeriſq́ querelis
    Naſcentes rigido Thracia plena gelu.
At contrà miro plauſu, miroq́ paratu
    Defunctis vita debita iuſta dedit.
Nempè, quòd agnôrat noſtræ diſcrimina vitæ,
    Et rerum miſeras, inſtabileſq́ vices.
At tuus obloquitur mœror, quòd mollibus annis,
    Integra Dorotheæ rapta ſit ante diem.
Quæſo quid ante diem dicis perijſſe? Dierum
    Quælibet ablatis morte ſuprema venit.
Eſt, qui clauſus adhuc materna putret in aluo,
    Ceu roſa ſæpe prius, quàm fuit orta, cadit.
Eſt, qui iam naſcens in partu tollitur infans,
    Aut, vbi vix cunas attigit, æger obit.
Eſt, qui voce ſonans balba teneriſq́ lacertis
    Amplectens matris dulcia colla, perit.
Contigit haud [illegible]eræ tetigiſſe ſenectæ
    Limen, & [illegible]s poſſe videre dies.
Nam ſapie[illegible] cauo ſeu carcere, mentem
    Noſtram clauſit in hac corporis arce Deus.

Vt,

Vt quocunque die mand... uerit inde reuerti,
Exiret demptis ... ... sa moris.
Legitimus venit ille dies, qu... cuique supremum
Cuilibet ætati iusserit esse Deus.
Exiguum discrimen habet, num viuere cesses
Serius, an citius nate subindè mori.
Scilicet vt tandem iugulat quoque rustica pullum,
Qui reliquis cæsis sæpè relictus erat.
Sic quibus ad tempus mors antè pepercerat, omnes
Coguntur tandem fata suprema pati.
Ac velut iniussu Regis discedere castris,
Militis omnino desipientis erit:
Sic quoque stultitiæ est, cùm iam sua missio turmis
Est data, militiæ prælia velle sequi
Cùm rude nimirum donatus cedat ab armis,
Auctus honore, potens nomine, diues opum.
Heu spacium vitæ metiri pluribus annis
Dedecet: à f...ris vita probanda venit,
Ille diu vixit nunquam, qui plurima vitæ
Lustra videns ter... s segne nocebat onus.
Sed qui post obitum monumenta probata reliquit
Virtutis posthac, ingeniique sui.
Si tibi depictam rara da... arte tabellam
Vtendam quidam Rex, aliusue Ducum:
Dic mihi, dic ... uæso, rabida num percitus ira,
Auderes Regi talia verba loqui:
Quid mea, Rex, poscis? Quæ ... iure requiras.
Est tecum mihi nil: Ist... est.
Natus es ex ferro, rigidi...
Quæ tibi ... nutrix pr... uit.
Nonne

Nonne graues contrà Rex iure regesserit iras?
Talia respondens: Desine stulte queri.
Siccine pro tanto merito mihi gratia fertur?
Siccine, quòd petitur nostra tabella, fremis?
An nescis gratis, vltroq; dedisse volentem
Me, cùm non cuperes? Desine stulte queri.
Hæc oculos, animumq; tuum tibi tradita pauit:
Quòd tribui, nostri muneris omne fuit.
Ni luctum moderere tuum, tibi tale querenti,
Ex supera obijciet non minus arce Deus.
Non miser est, sicca qui terras morte relinquat,
Ad diui scandens atria sancta throni.
Tu miserum dicas, qui raptus fortibus vndis,
Piscibus infestis esca voranda datur.
Aut quicunq; cadens veloce per aera lapsu,
Cum profuga vita frusta cruenta vomit.
Qui perit à rapida contactus fulminis aura,
Quem nix suffocat densa, necatúe gelu.
Quem flammæ perimunt, quem conficit ira ferarum,
Quem ferus hærentem calce trucidat equus.
Sunt miseri, quos dira rapit violentia mortis:
Non vnum sanè mors habet atra genus.
Aiunt phthiriasi fœda perijsse Platonem:
Occidit Ascanio flumine mersus Hylas.
Aeschylus interijt lapsæ testudinis ictu:
At Lyricum tenuis sustulit vua senem. Anacreon Poeta Lyricus.
Herodem necuit [illegible] sub corpore vermis
Na[illegible]s, & ex il[illegible] [illegible]be secutus odor.
Natorum [illegible] vindex [illegible] crimine fregit Heli sacerdos ab Ithamare ortus.
Ceruicem retró lapsus Ithamarides.

Diſperit Hippolytus loris diſcerptus equorum:
Se iugulans Iudas triſte pependit onus.
Euripides. Abripitur fumo rex intra balnea Minos:
At tragicum vatem diripuere canes.
Scorpius infixa confecit Oriona cauda:
Correptum frendens Idmona ſtrauit aper.
Muribus arroſus vitam dedit Hatto: Leænæ
Dentibus eſt factus præda frementis Hyas.
Excernens intra ſecretam Carbo latrinam
Ventris onus miſeram ſuſtinet enſe necem.
Occubuit plauſu, nimioq; Philiſtio riſu:
Pharao. Rex Pharius rubras mergitur inter aquas.
Amphiaraus obit raptus telluris hiatu:
Socrates. Suſtulit Actæum ſumpta cicuta ſenem.
Sic Paridis telo cecidit transfixus Achilles:
Eriſichthon Theſſalus. Theſſalides perijt deficiente cibo.
Pyramus, & Thysbe formoſo ſplendida vultu
Occumbunt, propria læſus vterq; manu.
Interit Empedocles combuſtus in ignibus Aetnæ:
Conſumpſit ſontem cœlica flamma Choren.
Sed quis commemoret lethi genus omne cruenti.
Tu citius ſtellas, quàm fera fata notes.
Dorotheen dignam ſuaui ſuccumbere morti
Abſtulit à noſtro principe tale nihil.
Noribergá. Non ſe-us hæc vitam poſuit, quâ Norica tranſit
Mœnia Pegneſus mollibus amnis aquis.
Quàm ſi deficiens tenues vaneſcat in auras
Deſuper è celſo flammula fixa lacu.
Aut quàm ſi multo depreſſa papauera nimbo
Senſim demittant interitura caput.

Hæc

Haec quoque prima nec est, quae sit sublata: nec inter
Defunctas posthac vltima prorsus erit
Qui moritur, domino moritur: sua maximus aeui
Arbiter ad sese rursus ad astra vocat.
Hinc pius instituit posito conuiuia luctu
Post obitum charae coniugis Isacides.
Indoluitque quidem moerens Iesseius Heros,
Cùm iam iam proles emoritura foret.
Sed qua defuncta posuit de corpore sordes,
Et pullas vestes, cepit & ore dapes,
Consilium Regis mirantibus inde ministris
His placidis contrà vocibus vsus ait:
Quid me conficiam nimio moerore? Quid aeger
Illachrymem spargens rore frequente genas?
Hactenus infantem fletu seruare parabam,
Non dubitans flecti saepè dolore Deum.
At lachrymis nullis nunc est reuocabilis: olim
Me quoque ducet ad hunc proxima quaeque dies
Hinc coepit, nati percepta morte, profari
Dorotheae sanctus talia verba socer:
Quod pater antè dedit coelestis, id abstulit idem:
Maxima laus iusto detur, honorque Deo.
Ethnica gens pariter, superi quoque nescia verbi,
Aequa natorum funera mente tulit.
Cùm geminis natis orbus foret ipse Pericles,
Quàm quater aequoreas Phoebus adiret aquas.
Nulla ferens prae se concepti signa doloris,
In medio coepit fundere verba foro.
Atticus orator niueo velatus amictu,
Ad populum laeto dicitur isse gradu.

Rachel Patriarchae Iacobi vxor, moritur.

Dauid Israelitarum Rex filius Iessae.

Christophorus Dux VVirtembergicus.

CARMEN.

Demosthenes. Cùm septem foret ante dies inclusa sepulcro,
Vnica conspicuis filia pulchra comis:
Si grauium mouearé paruis virtute virorum,
Saltem fœmineum respice quæso genus.
Corpora Gracchorum cernens Cornelia mater,
His dignis quondam vocibus vsa fuit:
Me miseram nunquam me vos reputeris amici,
Quod peperi Gracchos, vsque beata ferar.
Est mentis carcer corpus, quo capta tenetur
Ad iustum planè munus inepta suum.
Ex quo luctatur, ceu clauso septa sepulchro,
Ad superas sese libera ferre domos.
Vnde volans tandem, penetrando per æthera iuris,
Incipit esse sui, sponteq́ue cuncta facit.
Aeternumq́ue diem melioris transigit æui,
Omnimodi dura mole soluta mali.
Sic, quæ de cauea solitas euasit in auras,
Commotis alis libera plaudit auis.
Ac resono totum mulcet simul aera cantu,
Non veteris sortis, seruitijq́ue memor.
Non est, vt lugens incuses incola mortem:
Non pia Dorothee mortua tota fuit.
Sed potius nasci, vitamq́ue nouare perennem
Inchoat, vt verno credita grana solo.
Quæ non antè virent, & lætas æmula spicas
Produnt, quàm palea deficiente putrent.
Mente frui poteris, quam non tibi cernere vultu
Præsentem iam post fata suprema datur.
Sic procul absentes nobis cernuntur amici,
Per terras omnes, cunctaq́ue regna maris.

A patria

A patria profugi nostra quô longius absunt,
Hôc magis in nobis feruet vtrinq; fauor.
Discipuli sanè Christum reuerenter amabant,
Cùm surgens nondum vectus ad astra foret.
Ast postquam festo conscendit ad æthera plausu,
Ad patrium figens sancta trophæa thronum:
Creuit amor, multoq; magis cœpere latentem
Amplecti nunquam deficiente fide.
Non tamen amicitiæ non pacto fœdere nexum
Corporis: at fidæ vincula mentis amat.
Tanta patet nullis planè distantia terris,
Quà dirimi quondam pectora iuncta queant.
Incola, Tecciacis quicunq; moraris in oris,
Gaude. Lætitiæ signa perennis habes.
Mortua Dorothee non est: pars optima viuit,
Corpore mens melior: Mens pia morte caret.
Mens pia morte caret, conclusaq; membra sepulchro,
Induet in priscam rursus itura cutem.
Et de se fundet compar rutilantibus astris
Lumen: nec finis luminis huius erit.
Incola, Tecciacis quicunq; moraris in oris,
Gaude: Lætitiæ signa perennis habes.
Absens Dorothee nunc pro caligine mundi,
Suauia cœlestis gaudia lucis habet.
Ad vitam de morte volans euasit: & expers
Morborum, bellè tempus in omne valet.
Exijt in tutum terrena per æquora portum:
Exijt ad summum per mala mille bonum.
Venit ad angelicos intra consortia cœli
Ex hominum misera colluuione choros.

Hic vbi nunc regnat cœlestis honore triumphi,
Læta: suosq; noua voce salutat auos.
Incola, Tecciacis quicunq; moraris in oris
Defunctæ mecum talia vota refer:
Salue Dorothee cœli noua diuitis hospes:
Salue Dorothee diua beata. Vale.
Dorothea donum Dei. Ex vero tibi nomen habes: tu nobile donum
Dicta Dei dono iam colis astra Dei.
Donaq; per Christi mortem data percipis æui
Aeterni compos: Diua beata, Vale.



FINIS.

In oratione funebri, sequentia emenda[illegible] sunt

A iij. b pro [illegible]s lege [illegible]s A iiij. a pro Respu: leg[illegible]ur Respub: B. iij a pro perlaturi lege prælaturi. B. iiij a: C. 1. b pro Principe lege Principi. C. 4. a pro vinariam lege [illegible]inari & pro Venisset, venisset C. 4. b pro octogenta lege o[illegible]togin D. 1. b pro fuit, lege fuerit. D 4 a in prima lin. d[illegible]icat. [illegible]aut



TVBINGAE
Excudebat Alexander Hockius. 1583.